







Christianam de Sanctissima Trinitate doctrinam

ex sacris utriusque testamenti testimoniis

demonstrare studuit

STEPHANUS BRAUN
in Friburgensi theologorum Collegio repetendae historiae eccles. praefectus.

FRIBURGI BRISIGAVORUM.
TYPIS DILGERIANIS.
1863.


CHRIST THE KING
SEMINARY LIBRARY
WEST CHICAGO, ILL.

Imprimatur.

Friburgi Brisgov. die 22. Maji 1863.

† HERMANNUS
Archiepiscopus Friburgensis.

Praefatio.

Pauca sunt, quae praemittenda videantur. Omnium primum illud aut excusandum aut defendendum est, cur hanc potissimum conscribendae dissertationis theologicae materiam copiosissimam eamque difficillimam mihi sumpserim. Quod quum facerem, non me fefellit quidem operis suscepti difficultas neque ignorabam, tironis theologici „humeri quid valerent, quid ferre recusarent“: sed permovit me, ut eam rerum theologicarum

provinciam susciperem, non minus viri cujusdam doctissimi auctoritas, quam ipsa rei propositae dignitas ac gravitas. Etenim augustissimum sanctissimae Trinitatis mysterium quum fundamentum sit totius doctrinae christianae, hujus veritatis adversariis nihil magis curae est, quam ut hoc dogma vel prorsus evertant vel illius fidem infringant. Et certe individuae Trinitatis fide stabilita stat totius christianae doctrinae aedificium mirandum, evertitur illo dogmate fundamentali destructo et sublato. Quapropter operae pretium videbatur, ut ea sacrae scripturae testimonia, quibus aut interpretes catholici hoc fidei nostrae dogma defenderent, aut quibus abuti solerent Antitrinitarii, accuratius examinarem eorumque fidem, vel quomodo intelligendi essent sacri illi loci, via ac ratione potissimum grammatica uberius exponerem.

In prosequendo vero hoc studio ea mihi via optima visa est, primum ut ex veteri Testamento hujus mysterii vestigia et lineamenta investigarem; tum vero ex sacris Novi Foederis litteris quae de singulis unius divinitatis personis earundemque personarum consubstantialitate insunt proponerem et ipsius Domini omniumque Apostolorum eandem in his esse doctrinam probarem. Prae ceteris autem id praecipue spectandum erat, ut singula

divinitatis Jesu Christi argumenta accurate examinarentur. Nam qui Jesum Christum verum Deum esse confitetur, is christianae quoque sanctissimae Trinitatis mysterio fidem habebit: Christi vero divinitatem aeternam qui negaverit, idem Trinitatem infitiabitur. Postremo denique loco adversariorum argumenta ficticia ex sacra scriptura petita recensui et catholicam vexatorum locorum interpretationem subjeci.

Libri, quos aut ad exponendam et confirmandam doctrinam catholicam, aut ad refutandas adversariorum opiniones impias consului, hi sunt:

Ex antiquioribus theolog. operibus mihi praesto erant Petavii dogm. theol., Berti theol. hist. — dogm., Prud. Marani de divinitate D. N. J. Ch., Turnelii dogm., Maldonati Comm. in Evang., Estii in omnes S. P. epist. comm., Bellarmini Controversiae. Ad hos antiquiores scriptores accesserunt recentioris et novissimi temporis theologi: Adalb. Maier: Comm. zum Röm.-Brief, zum Evang. Joh. und I. Brief an die Cor., König: Die Theologie der Psalmen, Perrone: praelect. theol., Hergenroether: Trinit., Lutterbeck: Die neutestam. Begriffe, Staudenmaier: Die Lehre von der Idee, De Wette: Comm. zu den 4 Ev., Meyer: Comm. zum Evang. Matth., Baum-

garten-Crusius, Daniel von Coelln, Strauss: Dogm. & Leben Jesu, Lutz: Bibl. Dogm., Ebrard: Wissensch. Critik der bibl. Geschichte, Chr. Fr. Schmid: Bibl. Theologie des neuen Test., nonnullique alii.

I.

DE SS. TRINITATIS MYSTERIO

ipsis Veteris Testamenti testimoniis licet obscure adumbrato.

Novum testamentum in vetere testamento latere, vetus testamentum in novo testamento patere, verissime docuit S. Augustinus. Neque ea ratio et conditio, quae inter sacros utriusque testamenti libros intercedit, quemquam fugere poterit, qui vel paullisper in sacrae Scripturae studio versatus fuerit. Etenim quemadmodum omnes fere prioris testamenti leges atque institutiones novi testamenti praeparationes (*τὰ στοιχεῖα τοῦ κόσμου* elementa mundi) sunt, et venturam temporis plenitudinem (*τὸ πλήρωμα τοῦ χρόνου*) quasi indice produnt: ita chri-

stianae veritatis libri sacra illa vaticinia et divinae providentiae instituta novo rerum ordine esse expleta et perfecta aperte demonstrant. Quae quum ita sint, etiam augustissimi fidei christianae mysterii, sanctissimae Trinitatis quasi vestigia et adumbrationes sive lineamenta fundamentalia jam in veteris testamenti libris inesse facile apparet. Theologi quidem christiani eas praeparationes sive indicia ss. trinitatem spectantia, quae in sacris veteris testamenti libris insunt, partim ex iis locis, qui in una essentia divina personarum pluralitatem indicant, partim ex aliis sacrae Scripturae testimoniis, tam ad Filium quam ad Sanctum Spiritum pertinentibus, demonstrabant.

2. Ac primum quidem omnes fere doctores catholici in eo conveniunt, significari diversa Numinis apud Hebraeos appellatione אֱלֹהִים et יְהֹוָה naturae divinae unitatem ac personarum divinarum pluralitatem. Nomine enim אֱלֹהִים Deus tanquam auctor revelationis naturalis appellatur; יְהֹוָה vero nomen Dei peculiare sive singulare et specificum est, quo populo Israelitico ratione extraordinaria sese manifestavit. Utrumque vero nomen inter se conjunctum plenum Dei nomen efficit: יְהֹוָה

אֱלֹהִים*). — Itaque quantumvis a sacris Veteris Testamenti scriptoribus Numinis divini unitas inculcaretur, tamen ex ipsis Dei appellationibus indicatum erat, eam unitatem non esse abstractam sive sterilem, si ita fas est loqui, sed esse vivam et essentialem, quae in naturae divinae unitate non excluderet pluralitatem personarum.**)

Ea vero opinio magis etiam confirmabatur illis sacrae scripturae locis, ubi Deus pluraliter de se loquitur. Ita omnes fere theologi christiani antiquiores ss. Trinitatis indicium agnoverunt ex Gen. I, v. 26. et 27. נַעֲשֶׂה אָדָם בְּצַלְמֵנוּ כִּדְמוּתֵנוּ ׃ וַיִּבְרָא אֱלֹהִים אֶת־הָאָדָם בְּצַלְמוֹ בְּצֶלֶם אֱלֹהִים בָּרָא אֹתוֹ, ubi alterna illa pluralis et singularis numeri usurpatione Trinitatis mysterium non obscurum indicatum esse contendunt.

In ceterorum animalium rerumque creatione quum mundi conditor solo verbo „fiat“, quod fieri vellet, effecisset, jam ritu ac modo solemniore ad creandum hominem sese accinxit. Adhibitam esse eam majorem orationis gravitatem ad significandam homi-

*) Confr. de Hebraeis Dei nominibus Dr. Jos. Koenig liber, qui „Psalmorum theologia“ inscribitur p. 132—142.

**) Conf. l. c. pag. 519.

nis dignitatem nemo non videt. Illud vero inter catholicos interpretes eorumque adversarios disputatum est, quo sensu intelligenda esset divina illa consultatio sive allocutio. Fuerunt Judaei maxime scriptores, qui Deum secum locutum et ad agendum se excitantem ita dixisse affirmarent. At haec opinio Numinis dignitati parum videtur convenire. Alii vero Deum Angelos allocutum putarunt et ad probandam suam sententiam locum illum ex lib. 3. Reg. c. 22, 19, ubi Deus de Ahabi regis internecione cum Angelis consilium habuisset, afferebant. Sed praeterquam quod posterius hoc Numinis cum Angelis consilium per visionem spectatum narratur, ibi Angelus officio quodam fungitur, sed in creatione hominis solum Deum operantem s. Scriptura demonstrat. Quod quum intelligerent jam veteriores Judaeorum interpretes, aliam secuti sunt sententiam, quam recentiores quoque homines docti adoptarunt. Fingunt enim Deum auctoritatis vel majestatis causa, ut principes solent, numero plurali esse locutum. At nulla causa satis sufficiens afferri potest, cur hoc potissimum loco Deus majestatis causa pluraliter de se locutus sit, quum ne in lege ferenda quidem in monte

Sina, ubi major demonstrandae auctoritatis occasio fuerit, hoc solemni dicendi genere usus sit. Praetermissis aliis quibusdam hujus loci expositionibus ad communem s. Patrum interpretationem redeo, inesse in hac Dei locutione ss. Trinitatis significationem, licet non prorsus apertam, ita quidem, ut veritate christiana edocti in ea locutione tam personarum divinarum pluralitatem quam essentiae sive naturae divinae unitatem indicatam esse conjiciamus.

Eodem fere sensu Genes. c. 3. v. 22 interpretes catholici intelligunt הֵן הָאָדָם הָיָה כְּאַחַד מִמֶּנּוּ׃ quae verba, ut superiora illa, quae modo exposuimus, Judaei et nonnulli nostrae aetatis commentatores vel ad Angelos pronunciata vel ad significandam divinam majestatem et auctoritatem de uno eodemque singulari Deo pluraliter usurpata esse censent.

Personarum in Deo pluralitatem porro indicare videtur illa Genes 11, 7. admonitio: הָבָה נֵרְדָה וְנָבְלָה שָׁם שְׂפָתָם — Quamquam S. Augustinus 16 de civit. Dei libro c. 6. hanc allocutionem ad Angelos tanquam Dei ministros pertinere existimat, tamen magis mihi placet Petavii, viri doctissimi, hujus loci explanatio, qui quod

nulla neque praecesserit neque sequatur angelorum mentio, ad ss. trinitatis mysterium referendum esse illum sermonem putat. Solet enim scriptura, ubi ejusmodi colloquium et concilium describitur, in quo Deus cum familia sua (ut Rabbinorum verbis utar) angelos ac ministros ac satellites designare (cfr. 3 Reg. c. 22., Jes. 6, Job. 1). Sed hoc nostro loco solum Dominum in terram descendisse, docet scriptura.

Vestigium quoddam ss. Trinitatis nonnulli theologi antiquiores sacras litteras interpretati in Gen. 19, 24 reperire voluerunt, siquidem v. 24: וַיהוָה הִמְטִיר עַל־ סְדֹם וְעַל־עֲמֹרָה גָּפְרִית וָאֵשׁ מֵאֵת יְהוָה מִן־הַשָּׁמָיִם׃ Quibus verbis Deum de Deo significari, i. e. filium Dei unigenitum, cui Pater potestatem dederit judicandi terram, auctores illi asseverant. At quantumvis veneranda sit istorum Patrum, velut S. Justini Martyris, S. Jrenaei, S. Athanasii aliorumque patrum auctoritas, tamen nihilominus ea verba ita exponenda sunt, ut nomen proprium מֵאֵת יָהּ dictum sit loco pronominis: „a se“, quae linguae hebraicae proprietas non semel invenitur. Ita, ut ex multis exemplis unum tantum afferam, Lamech Gen. c. 4. uxores

suas hoc modo alloquitur: „Audite me“, inquit, „uxores Lamech“, pro „uxores meae“. Quod Sirmiensis illa synodus contra Photinum habita, sensu trinitario hunc versum interpretata est, et aliter exponentibus anathema dixit, non magni faciendum est: quum, ut recte jam Petavius animadvertit, nullam prorsus auctoritatem mereatur, quantumvis in eo, quod Photinum merito condemnavit, a plerisque Catholicis antiquis recepta sit atque laudata a S. Hilario.

Inter ea adorandi ejusdem mysterii testimonia ex vetere testamento petita, quae veritatem non tam prae se ferunt, quam in se abscondunt, habendus est psalmi 32. versus 6. „Verbo Domini coeli firmati sunt et Spiritu oris Ejus omnis virtus eorum.“ Etsi sensus quidem literalis nihil aliud videtur significare, quam Deum verbo effecisse, ut essent coeli coelorumque virtutes: nihilominus communis omnium tam Graecorum quam Latinorum Patrum sententia est: pronunciatum ibi esse ss. Trinitatis mysterium.

Silentio denique non praetermittenda est visio illa a Jesaja c. 6. enarrata, ubi Angelorum chorus Deum ter sanctum appellat. Quod quum dico, equidem non

ignoro, sensum literalem ita posse explicari, ut vocabulo illo ter repetito eximia Dei sanctitas laudetur. Itaque non ex literis quidem, sed potius sensu mystico in illo hymno angelico S. Trinitatis mysterium latet, quapropter jam S. Ambrosius libr. de fide 2, cap. 4. hoc loco ostendi existimat „Trinitatis unam esse deitatem addito post verba illa ter repetita numero singulari".

3. Jam vero, quomodo ex hac divinarum personarum in uno Deo pluralitate licet adhuc obscure indicata paullatim personae hypostaticae clarius distinctae sint, videamus atque in primis quidem notionem paternam accuratius examinemus. Sunt enim diversae hujus nominis in V. T. significationes, quarum praecipuae sunt hae, quae sequuntur, quatuor:

a) Paternitatis notio Deo tributa est inde, quod omnium rerum et coelestium et terrestrium conditor est et gubernator. Apparet haec quidem significatio ex Malach. 2, 10. ubi propheta: „Numquid non unus", inquit, pater omnium nostrum? numquid non Deus unus creavit nos?" Quamquam ea interrogatio sensu proximo ad Judaeos pertinet, tamen latiorem sententiam prae se

fert: Deum Creatorem ideoque Patrem esse humani generis.

b) Haec vero primaria et universalis Dei ex creatione paternitas coarctata est singulari illa et speciali significatione, qua Deus gentis potissimum Judaicae pater habitus est, quia prae ceteris omnibus eum populum sibi elegit et paterna benevolentia gubernavit. Quapropter ipse Moses Deut. 32, 6 de Judaeorum impietate in Deum conquestus „haeccine reddis Domino, inquit, popule stulte et insipiens? Numquid non ipse est Pater tuus?“ — In eandem fere sententiam Jesaia Propheta Deum alloquitur: „Tu enim es Pater noster“ (Jes. 63, 16) et paullo inferius (64, 8) eandem allocutionem repetit. Apud Jeremiam quoque (31, 9) Deus Judaeorum patrem se esse profitetur (3, 19). Si vero Jehova Pater, Israel ejus filius (Exod .4, 22 Jerem. 31, 20 Hos. 11, 1 Deut. 1, 31 8, 5. 14, 1. 32, 19 etc.).

c) Ad hanc mutuam inter Jehovam et populum electum conditionem et rationem accessit aliud quoddam vinculum, quo singuli etiam homines, pietate insignes, cum Deo tanquam ipsorum patre continebantur. Etenim

virtute ac pietate homines similitudinem ac cognationem quandam cum Deo perfectissimo, omnium virtutum ac sanctitatis auctore inire, docent litterae sacrae. Ita Jehova 2 Sam. 7, 14 David regi pollicetur, amore paterno se prosecuturum esse Salomonem: „Ego", inquit, „ero ei pro patre et ipse mihi erit pro filio" et lib. sap. 2, 17. 18 homines stultos et injustos, virum justum persecuturos ita loquentes inducit: „Videamus ergo si sermones illius veri sint... Si enim est verus filius Dei, suscipiet illum et liberabit eum de manibus contrariorum."

d) Sensu denique singulari et metaphysico intelligendi sunt illi sacrae scripturae loci, ubi Deus Messiae venturi pater appellatur; velut ps. 2, 7 sq. ipse Messias haec de se gloriatur: „Dominus dixit ad me: filius meus es tu; ego hodie genui te". Et alio loco ps. 89, 27. Dominus Messiae dignitatem hisce verbis describit: „Ipse invocabit me: Pater meus es tu ... et ego primogenitum ponam illum, excelsum prae regibus terrae".

4. Jam vero illud quaeritur, num in V. T. distinctiones hypostaticae Numinis divini indicatae sint et quomodo praeter

Patrem Filii quoque et Spiritus Sancti persona licet obumbrata tantum in sacris V. T. libris appareat.

Quod ad primam hujus quaestionis partem attinet, illud potissimum observandum est, quod in V. T. de Angelo illo foederis docetur, qui מַלְאַךְ יְהוָֹה vel מַלְאַךְ פָּנָיו vel מַלְאַךְ הַבְּרִית (Mal. 3, 1) nuncupatur. Is Angelus Domini Gen. 31, 11 Jacobo dormienti apparuisse narratur, qui Angelus Domini paullo inferius v. 13 se ipse eundem Deum esse profitetur, quem Jacob in Bethel vidisset. — Deinde, ut aliud exemplum afferam, Exod. c. 3. quum versus 2 Angelum Domini in rubi flammis fuisse narrasset, mox versu 4. hoc vocabulum cum ipso Dei nomine mutuatur et ipse Jehova ex rubo loquens inducitur. Apud Mal. c. 3. de Angelo foederis sermo est, qui dicitur ad templum suum venturus esse Dominator (Cfr. praeterea Gen. 16, 7 sqq. 48, 15. 16 Exod. 14, 19. 23, 20; 32, 24; 33, 14. 15. Judd. 6, 11. 14. Jes. 63, 9. Praeterea, quod is, qui Angelus Dei audit, ipso nomine Dei vel Domini appellatur, ad significandam ejus dignitatem divinam haec quoque animadvertenda sunt: (1 praedicantur de eo, quae

nonnisi Deo conveniunt cfr. Ex. 23, 20 Jes. 63, 9 Mal. 3, 1. 2) Angelus ille vel ab iis, quibus apparuit, Deus habetur, neque eam opinionem refellit. 3) Gen. 48, 16 Jacobus jam moriturus eundem Angelum ita describit, ut eum ipsum Jehovam esse facile appareat:

„Benedixitque Jacob filiis Joseph et ait: Deus, in cujus conspectu ambulaverunt Patres mei Abraham et Isaac, Deus qui pascit me ab adolescentia mea usque in praesentem diem: Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis.“

Quae omnia qui consideraverit, cum Patribus catholicis facile consentiet, significatum esse sub hoc מַלְאַךְ יְהוָֹה verbum divinum sive Filium, jam in V. T. operantem, qui a Deo Patre quidem hypostatice est distinctus, sed ejusdem cum Patre naturae divinae.

5. Non minus ad Filium Dei unigenitum referenda est praeclarissima illa Sapientiae divinae descriptio (Prov. 8, 22 sq. Sap. 7, 22—26. 10, 1—21. 11, 1—19). Etenim quum Sapientiae divinae efficacitas non solum in mundi creatione cognosceretur, sed etiam ejus operatio in gubernando ac moderando populo Judaico

perspicua esset, jam recte tanquam Numen personale habebatur, a quo condita sunt omnia et ad destinationem suam perveniunt. Quapropter quae loc. citt. de Sapientia illa divina leguntur, non ad meram personificationem poëticam spectant, sed hypostasim significant a Deo Patre personaliter distinctam, essentialiter unitam. Ea vero Sapientia omni sapientia humana infinite superior et increata e principio suo metaphysico progressa hominibus manifestata est et communicavit cum iis, tum ut rectam haberent omnium rerum cognitionem, tum ut in omnibus vitae conditionibus virtutem agerent atque exsequerentur voluntatem divinam. Apparet igitur, eam divinam Sapientiam personalem convenire cum λόγῳ Joanneo ejusque operatione divina.

Ex iis, quae sacra Veteris Testamenti Scriptura de Angelo Jehovae et Sapientia divina docet, Judaei divinare quidem poterant, naturae divinae esse plures hypostases: non existere in Deo singularitatem personae, sed in personarum pluralitate unitatem substantiae. Et accessisse Judaeos ad divinandum illud mysterium augustissimum, apparet ex doctrina eorum Messiana.

6. In enarranda Judaeorum doctrina Messiana tria potissimum vaticiniorum tempora distingui posse, Lutterbeckius*) recte videtur animadvertisse.

1) Ea vaticinia, quae in libris Mosaicis insunt
   a) temporis primarii: א) Gen. 3, 15: Js (הוא semen mulieris) tibi (serpenti i. e. diabolo et potentiae ejus in mundo diabolicae) caput conteret. ב) Gen. 3, 30. Adam nomen dedit uxori suae Chavah i. e. mater viventium. ג) 9, 26 benedictio Noachi, qua Sem, tanquam Christi proauctor, prae ceteris insignitur.
   b) temporis patriarchalis, ubi α) promissiones quae factae sunt Abrahamo (Gen. 12, 3. 18, 18. 22, 18) et β) et Isaaco et Jacobo (Gen. 26, 4. 28, 14 et γ) benedictio Jacobi Gen. 49, 10, qua apud Judam dominationem mansuram edixit, donec veniret Schilo (princeps pacis), gravissima sunt vaticinia Messiana.
   c) temporis Mosaici, quo fundamenta muneris prophetici, pontificii

*) Die neutestam. Begriffe.

et regii jaciuntur et Deut. 18, 18 Israelitarum populo propheta futurus, qualis Moyses fuisset, promittitur et vatis Bileami de Stella ex Jacob oriunda vaticinium communicatur. Haec omnia vaticinia magis in universum dicta sunt et Salvatorem praenunciant universe tantummodo definitum.

2) Ea vaticinia, quae ex tempore Davidis ac Salamonis regis exstant et imprimis psalmi qui vocantur Messiani, accuratius jam de Messia venturo loquuntur. Cfr. 2, 1. 8, 5. 22, 7. 45, 7. 8. 72, 10, 89, 4. 110, 1; ibi significatur הַמָּשִׁיחַ (ps. 2, 2) Filius Dei (ibid. 7. cf. 2 Sam. 7. 14) primogenitus (ps. 89, 27) et Dominus (ps. 110, 1) et ejus dominationis non finem esse futurum, quod jam prophetae antiquiores inde a Samuele usque ad Eliam et Elisam praedixerant. (cf. 2 Sam. 7, 12—16.)

3) Magis denique perfecta est idea Messiana a posterioribus Judaeorum vatibus, quorum agmen ducit Joël, concludit Maleachi. Sunt inprimis vaticinia Jesajae, Michae, Ezechielis, Jeremiae et Danielis,

quae tam personam Salvatoris venturi quam munus ejus Messianum vivis coribus illustrarunt. Ita Jesaja, qui merito rex prophetarum vocatur, eum prolem dicit esse Jehovae (Jes. 4, 2 cf. Sach. 3, 8. 6, 12) unigenitum (Jes. 42, 6 sq.) Immanuelem (Deus nobiscum) et Virginis prolem (Jes. 7, 14 cf. Matth. 1, 23) Salvatorem divinum (Jes. 62, 1 sq.) et vindicem libertatis (Jes. 49, 20) in quo benedicantur omnes gentes (Jes. 11, 10. 42, 1—6; 49, 6. 7) Micha propheta, qui eodem fere tempore vixit, eum licet hominem Bethlehemi natum, tamen originis esse divinae profitetur (Mich. 5, 1. 3 cf. Matth. 2, 6).

Apud Ezechielem pontificium potissimum munus Messiae commemoratur (Ezech. 11, 18 sq. 36, 25 sq. c. 40 sq. 45, 7) apud Jeremiam vero ejus munus propheticum praedicatur, quo non solum Jerusalem, sed etiam gentes exterae novo implerentur spiritu et ad Dominum converterentur Jer. 3, 17. 4. 2. 16, 19 etc. a Daniele denique ejus dignitas regia laudatur, quae est sempiterna omnesque alias dominationes mundanas infinite antecellit.

Haec de venturo Messia vaticinia adeo clara sunt, ut facile ex iis subintelligi possit, Salvatoris futuri dignitatem non esse mere humanam, sed eundem esse personam divinam. Quid? quod nomen אֱלֹהִים ei tribuitur (ps. 45, 7. 8, et appellatio אֲדֹנָי, quae de solo Deo usurpatur (ps. 110, 5) כִּסְאֲךָ אֱלֹהִים עוֹלָם וָעֶד : „thronus tuus, Deus, in aeternum“.

Judaei quidem interpretes eosque secutus De Wettius, ne Christo ex hoc loco divinitas tribueretur veriti, priora illa verba ita verterunt, ut sensus esset: „Solium tuum exstruxit Deus“ vel: „Solium tuum solium Dei“; De Wette: „Dein Gottesthron“, quae interpretatio propter verborum constructionem ferri non potest. Intelligenda esse ea verba de Filio Dei unigenito, apparet ex epistola illa ad Hebraeos conscripta, quae vulgo S. Barnabae adscribitur (cf. ad Hebr. 1, 8). Tum vero totum illud carmen, ps. 45., tanta orationis sublimitate, tanta verborum et imaginum elegantia, tanta denique totius compositionis gravitate est, vix ut de rege quodam humano possit explicari.

Altera illa appellatio Messiae tributa אֲדֹנָי ex psalmo est 110., omnium fere

psalmorum Messiam vaticinantium praeclarissimo נְאֻם יְהוָֹה לַדֹנִי : „Effatum Jehovae ad Dominum meum“ et mox v. 4: „Juravit Dominus et non poenitebit eum: tu es Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech“ (vel: more Melchizedeki). — Ex iis, quae regi huic eidemque sacerdoti attribuuntur, ex aeternitate sacerdotii et ejus sessione ad dexteram Dei, quae alias nulli Hebraeorum regi tribuitur, luculenter apparet, significari hoc loco divinam Messiae dignitatem ac naturam Patri consubstantialem. Etenim si verum esset, quod De Wettius censuit, ex adulatione quadam aulica ita appellatum esse regem quemdam terrenum, adulatio existeret tam palpabilis et impia, ut cuivis regi, qui nondum omnem religionem et pietatem exuisset, non ferenda fuisset neque, ut recte Jahnius monuit, ullum poetam sperare potuisse, his se gratiam apud regem initurum; imo cuivis auctori tam impio verendam fuisse imminentem sibi omnium Hebraeorum imprecationem et invidiam. Et vel eo magis tenenda est hujus psalmi Messiani auctoritas, quum ipse Salvator noster sensu Messiano illud carmen interpretatus sit.

Appellatur denique Messias Dei Filius ps. 2. „Dixit Dominus ad me: „Filius meus es tu, ego hodie genui te“, quae verba ad Christum pertinere et totius psalmi ratio et ipsorum Apostolorum testimonia (vide Act. 4, 25 sq. 13, 33. Epist. ad Hebr. c. 1. & 5. Apoc. 2 & 19.) luce clariora demonstrant. Etiam antiquissimos Judaeorum interpretes eum psalmum ad Messiam, non ad Davidem, ut recentioribus quibusdam placuit, spectare dixisse, Aben Esra testatur.

7. Praeter haec divinitatis Messiae in sacris V. T. libris indicia illud jam restat, ut quae de Spiritu Sancto ibidem doceantur, paucis proferamus. — Atque multis quidem V. T. locis de Spiritu Dei sermo est. Plerumque ibi רוּחַ יְהוָֹה ,רוּחַ אֱלֹהִים appellatur, vel רוּחַ הַקֹּדֶשׁ spiritus sanctitatis (ps. 51, 13. et Jes. 63, 10) vel quod idem est *πνεῦμα ἅγιον* (Sap. 1, 5; 9, 17) vel Jes. 11, 4. Spiritus oris vel labiorum Dei. Adscribitur ei, quoniam vivus est, efficaia quoque vitalis et animans, (cfr. Ps. 139, 7) quum in externa rerum omnium creatione (Gen. 1, 2 Ps. 104, 30. 33, 6.) tum in excitandis aut commovendis vel confirmandis hominum animis sive ad demon-

strandam in bello fortitudinem (Jud. 11, 29. 13, 25 1 Sam. 11, 6.) sive ad colendam morum sanctitatem (Ps. 51, 13 Jes. 63, 10). Idem Spiritus potissimum sacrarum revelationum et vaticiniorum auctor est (Num. 24, 23 1. Sam. 19, 20—23) quum in singulis populi theocratici vatibus licet sparsim manifestus, tum largissimo modo Messiae tributus (Jes. 11, 9; 61, 1 (cfr. Luc. 4, 18) Jes. 42, 1. cfr. Matth. 12, 18) et tempore quidem Messiano super omnem carnem (Joël 3, 1. 2) cujuscumque aetatis, ordinis ac generis effundendus, (Jes. 44, 3. Ezech. 36, 26. 27. cfr. 11, 19 et 39, Sachari. 12, 10) ut — quod pio desiderio jam Vates regius David Deum rogabat — cor novum et Spiritus certus omnibus hominibus reddatur ipso Dei Spiritu iis immisso (Ezech. 36, 26. 27 et ps. 51, 13.)

Eundem Spiritum quamquam ejusdem est cum Deo Patre naturae, attamen hypostatice distinctum ab eo docet Jes. 48, 16: ibi Messias וְעַתָּה, inquit, יְהוָֹה שְׁלָחַנִי וְרוּחוֹ׃ „jam vero Deus me misit et Spiritus ejus.“ Falso Luzius (Bibl. dogm. pag. 64) רוּחוֹ accusativum esse dicit: quod si verum esset, dicendum fuisset וְאֶת־רוּחוֹ, quamquam

ne ita quidem Spiritus sancti hypostasis sive personalitas refellatur, siquidem Spiritus sanctus in iis hominibus, qui eo sunt repleti, semper ab iisdem ipsis distinguitur.

Haec V. T. de Spiritu Sancto doctrina etsi Novi demum Test. testimoniis plane illustrata est, tamen illud demonstrat, indicasse libros prioris testamenti, Spiritum Sanctum distinctum esse ab ipso Deo Patre eumque esse hypostasim divinam, quum ea de illo praedicentur, quae nonnisi personae divinae conveniunt.

Sufficiant haec, quae diximus, ad indicanda quidem SS. Trinitatis in sacris V. T. codicibus vestigia. Quamquam enim Deus Hebraico populo Trinitatis arcanum inde a principio apertissime revelare opportunum minime existimavit; illud tamen altissima divinarum Scripturarum significatione censuit esse delineandum: ut fideles, qui Christo nomen dedissent, si novitatis suorum dogmatum arguerentur, Judaeorum eluderent cavillationes. Hebraeis autem duplicem ob causam noluit tantum aperire mysterium: et ne in cultum idolorum proni Deorum suspicarentur pluralitatem: et ut gradatim ac quasi per incrementa altissimarum rerum cognitione humana fragilitas imbueretur.

Hinc paullatim sanctissima Trinitas nobis innotuit: et in libris quidem Moysis unitas divinitatis specialiter praedicata est; in Prophetis Dei Verbum annunciatum et personarum numerus binarius diligentius commendatus, licet Spiritus Sancti significatione non prorsus omissa; Trinitas denique in nova lege evidentissime demonstrata.

II.

CHRISTIANA SS. TRINITATIS DOCTRINA

ex sacris Novi Testamenti libris demonstratur.

Quae in veteris Testamenti codice sacro insunt augustissimae Trinitatis quasi vestigia, ea veritatis christianae luce prorsus sunt revelata et aperte demonstrata. Etenim quemadmodum necesse fuerat propter Judaeorum et totius orbis antiqui inclinationem ad polytheismum, ut tempore praeparatorio Numinis unitas iterum atque iterum inculcaretur, ut omnium hominum animi a solo Deo vero ipsorum redemtionem ac salutem exspectarent, ita quum temporis plenitudo venisset ad revelandae divinae misericordiae mysteria, nihil magis genus

humanum commovere et ad Deum reducere potuit, quam sanctissimae in Deo Trinitatis revelatio per Jesum Christum planissime nobis manifestata. Jam spectabant homines strenuam Dei Patris justitiam ac sanctitatem, qui ne universum genus humanum perderetur et in perpetuum exitium rueret, filium suum unigenitum in mundum misisset, ut crucis supplicio satisfaceret justitiae divinae pro hominum peccatis atque delictis. Non minus vero revelata est divina caritas et misericordia, siquidem Pater aeternus dilectissimum suum et unicum Filium dedit, ne quis ex hominibus periret sed omnibus vita esset aeterna; et ipsum Verbum divinum non dedignatum est quin indueret habitum nostrae mortalitatis. Et manifestata nobis est S. Spiritus gratia et caritas per Jesum Christum fidelium cordibus infusa, quo favente ac moderante Spiritu Sancto ad omnes homines redundarent redemtionis fructus uberrimi et regeretur ac sanctificaretur Jesu Christi Ecclesia.

Hanc divinam salutis nostrae oeconomiam omnes fere novi testamenti paginae demonstrant, adeoque SS. Trinitatis confessio totius doctrinae christianae fundamentum est, ut qui hoc fidei nostrae dogma

negaverit, salvus fieri non possit. — Quae ita esse, optime sic demonstrari posse existimo, ut tam quae de singula quaque Trinitatis persona in sacro N. T. codice disputata sunt, quam quae de personarum consubstantialitate ibidem exstant, accuratius examinemus. Et merito quidem

Quid de Patris nomine ac dignitate ipse Christus docuerit

in medium proferamus. — Considerantibus nobis quae

1. De Patris nomine ac persona

a Jesu Christo nobis tradita sunt, distinguendum est inter eam rationem ac conditionem, quae intercedit inter Deum et homines, et alteram illam, quae inter ipsum Christum ac Patrem suum intercedit. Notissimum est, a divino nostro praeceptore Deum appellatum esse hominum Patrem (ὁ πατὴρ σοῦ) Matth. 6, 4. 6. 8. item (ὁ πατὴρ ὑμῶν) Matth. 6, 8. 15. 10, 20. 29, 23, 9 Luc. 6, 36. 12, 30. 32 et ipse nos Dominus praeclara illa oratione,

quam nos docuit, Deum „Patrem nostrum“ vocare jubet. (Matth. 6, 9) Saepissime huic vocabulo additum est „qui est in coelis“ ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς (cfr. Matth. 5, 16. 45. 48. 6. 1. 9. 14. 26. 32. 7, 11 Marc. 11, 25) vel „de coelo“ ἐξ οὐρανοῦ (Luc. 11, 13).

Quo sensu intelligendum sit, ubi Deus hominum Pater appellatur, dubium non est. Significatur eo vocabulo, Deum omnis vitae esse fontem et originem hominesque esse creatos ad similitudinem et imaginem Dei. Nec tamen haec unica est causa nominis paterni Deo tributi. Accedit, quod Deus non solum vitae naturalis sed etiam omnis vitae spiritualis et moralis auctor est et parens. Itaque nomen divinae paternitatis hominumque a Deo procreationis ita saepe usurpatur, ut cognationem quandam spiritualem et moralem significet. Sunt eo sensu homines Dei filii, si mentes suas ac mores ad Dei similitudinem conformant, spiritu divino impleti, virtutis studiosi et ad exsequenda omnia Dei mandata parati. (Matth. 5, 45) Qui aliter faciunt impietati pravisque cupiditatibus dediti, ii non sunt Filii Dei sed diaboli (υἱοὶ τοῦ πονηροῦ cfr. Matth. 13, 38.) Eadem fere ratione ipse

Salvator Judaeos non credentes etiamsi ab Abrahamo originem duxissent, non filios Abrahami esse dixit, sed a diabolo procreatos, quod non Abrahamo sed potius diabolo ex ipsorum factis essent similes. (Cfr. Joan. 8, 39 sqq. Matth. 13, 38 Matth. 23, 31. 32 Luc. 11, 47.) Idem distinguit sacra scriptura quum dicit *εἶναι ἐκ τοῦ θεοῦ* vel *ἄνωθεν, ἐκ τοῦ θεοῦ γεννηθῆναι* et *εἶναι ἐκ τοῦ διαβόλου* Joan. 8, 44. 47.

Cujus vitae supranaturalis quum Deus per Christum auctor sit et restaurator, Pater est speciatim omnium eorum, qui ex Spiritu sancto regenerati sunt, eosque amore paterno complectitur et cum filio suo unigenito in eorum cordibus habitat. Ita Deus licet omnis conditionis terrenae exsors et toto mundo infinite sublimior societatem quandam et communionem cum hominibus init spiritu vitali justificationis et sanctitatis cum iis communicato, eorumque Pater sensu morali appellatur. Sed his duabus, quas jam diximus, significationibus divina paternitas non plane est definita. Restat enim, ut quo sensu ipse Christus Deum Patrem suum dixerit, ipsumque Patris Filium unigenitum appellaverit, paucis exponatur.

Illud quidem non est dubitandum, sed ipsis Christi verbis planissime apparet, non eandem inter ipsum et Patrem coelestem conditionem et rationem intercedere atque inter Deum ceterosque homines: exstant enim non pauci sacrae scripturae loci, ubi Magister noster divinus Deum Patrem suum ita esse profitetur, ut eandem sese cum Patre naturam divinam habere confirmet: velut quum Pharisaei Dominum de violato sabbato accusarent (Joann. c. 5.) vel ubi ad Philippum dicebat, Patrem in se videri (Joann. 14, 9) vel ubi Christus, discipulos suos consolatus, exivisse se a Patre et iterum ad Patrem sese profecturum profitebatur (Joann. 16, 28) et dilectum se esse a Patre ante mundi constitutionem, gloriabatur. (Joann. 17, 24.) Quemadmodum Pater vitam in se ipso habet, sic et Filio dedit habere vitam in semetipso: quapropter inter Patrem et Filium aequalitas est cognoscendi et operandi: nemo novit Filium nisi Pater neque Patrem quisquam novit nisi Filius et cui voluerit Filius revelare (Matth. 11, 27, Luc. 10, 22) et quaecunque Pater facit eadem Filius quoque facit (Joann. 5, 19). Non vero tanta cogitari posset Patris et Filii in cognoscendo

et operando aequalitas et unitas, si non eadem esset subintelligenda naturae divinae substantia: neque Christus se Filium Dei Deumque Patrem suum appellare potuisset, nisi sensu singulari ac proprio, quo praeter ipsum alius nemo.

Et ipsos Judaeos Christi de Patre suo verba ita intellexisse, ipsi sacri Evangeliorum libri testantur. „Quaerebant eum Judaei interficere, ait S. Joannes, quia non solum solvebat sabbatum, sed et Patrem suum dicebat Deum, aequalem se faciens Deo.“ Cajaphas vero, summus Judaeorum pontifex, quum Jesum interrogasset, an Christus esset, Filius Dei? illius affirmationem recte ita interpretatus est, ut Deum patrem sensu proprio a Jesu esse appellatum contenderet. Apparet denique ex verbis illis, quibus in baptizandis hominibus Christus discipulos suos uti jusserat, Jesum se verum ac consubstantialem Dei Patris Filium esse docuisse, quum eandem sibi quam Patri dignitatem tribueret.

Quibus et aliis sacrae Scripturae testimoniis luce clarius demonstratur, Patris nomen ac dignitatem, quum de Christo Ejusque Patre divino sermo sit, non aliter

posse intelligi, quam de vera ac propria Dei paternitate. Itaque jam

Quae fuerit ss. Apostolorum de Deo Patre sententia ac doctrina, investigemus.

---

1. Ex iis, quae a S. Petro, Apostolorum principe, in sacris libris scripta habemus, apparet, significatum esse Deum in universum omnium hominum Creatorem (1. P. 4, 19), animo paterno et caritate benevola mundum ac creaturas amplexum, quapropter „etiam ii, qui paterentur secundum voluntatem Dei, Deo Creatori fideli commendarent animas suas, omnemque sollicitudinem projicerent in eum, cui ipsi cura esset hominum." Esse eundem judicem justum, qui judicaret sine personarum respectu secundum uniuscujusque opus (Petr. 1, 17 et 2 P. 2, 4 sq.); esse omnipotentem, itaque humiliarentur homines sub ejus manu potenti (1 P. 5, 6), resistere enim Deum superbis hominibus, humilibus dare gratiam (I, 5, 6) Eundem, quoniam esset sanctus, diligere homines probos ac pios, odio vero justo persequi malos (I, 3, 12); curandum ergo esse hominibus, ut „secun-

dum eum, qui vocasset eos, sanctum, et ipsi in omni conversatione sancti essent; et quia Patrem vocarent eum, qui sine acceptione personarum judicaret uniuscujusque opus, in timore incolatus sui tempore conversarentur" I, 1. 15. 17. Quae omnia de Deo Patre praedicata, quum in universum dicta videantur et sensum latiorem contineant, tum ad Christianos potissimum pertinent ad confirmandos eorum animos in persecutione. Etenim fidelibus Christianis Dei paternitas planissime apparuit, quia inter Deum et ipsos per Christum arctior nexus et ratio intercedit. Jure ac merito Christianos afflictos confidere posse in Deo, propter eam ipsam rationem, quam Deus Pater haberet ad Jesu Christi personam et opus Ejus divinum. Eam vero rationem duplicem considerat et describit S. Petrus et objectivam et subjectivam: ratione objectiva illud praecipue monuit, Deum Patrem esse Jesu Christi I, 1, 3. II. 1, 17 praecogniti ante mundi constitutionem I, 1, 20; resuscitasse eum a mortuis, dedisse ei gloriam (21) et posuisse eum in Sione lapidem summum angularem i. e. fundamentum novi foederis. Porro Deum esse per Christum fidelium

Patrem 1, 17, qui misericordia sua magna permotus regeneratos eos in spem vivam per resurrectionem Jesu Christi a mortuis (1, 3) vocasset in aeternam suam gloriam in Christo Jesu. Ita necessitudo quaedam objectiva posita inter Deum opusque Jesu Christi salutare. Sed ut fideles hujus operis divini participes efficiantur, necesse est, ut eam rationem, quae inter Deum Patrem et Jesum Christum Ejus Filium intercedit, etiam ex parte subjectiva excipiant. Per Christum in Deum credimus (1, 21) morte Christi expiatoria cum Deo reconciliati (3, 18): et Deus per Christum ita glorificatur, ut homines Christo dediti ejusque passionis, propter hominum peccata susceptae, memores, ejusque resurrectionis et ascensionis recordati jam a peccatis abstineant et ita vere Christi discipuli esse studeant: ut agnoscant et laudent summam Dei misericordiam et gratiam in Christo Jesu nobis manifestatam.

Haec S. Petri Apostoli de Persona Patris ejusdemque ad Christum ac genus humanum relatione effata testantur, docuisse Apostolorum principem: Deum ita esse Patrem Jesu Christi, ut eadem sit Filius substantia et natura hominesque non posse

salvos fieri nisi crederent Jesum Christum unicum esse ac proprium Dei Patris Filium.

2. Quum ab omnibus Apostolis tum a S. Paulo quoque mundi conditio potissimum Patri adscribitur, quia rerum naturam e nihilo creavit. Operatus est autem Deus Pater creaturam per suum Verbum, qui est Filius, per quem omnia (1 Cor. 8, 6) et in quo condita sunt omnia in coelis et in terra visibilia et invisibilia (Col. 1, 16) „Unus Deus est et Pater omnium, qui est super omnes et per omnia et in omnibus nobis“ (Ephes. 4, 6) cfr. etiam Act. 17, 24 sq.

Ad redimendum vero genus humanum a Deo alienatum idem Deus Pater Filium suum proprium in hunc mundum misit et pro nobis in mortem dedit (Rom. 8, 32), ut salvi essemus. Propter hanc eximiam Dei Patris erga homines misericordiam et benignitatem vere divinam S. Paulus Deo gratias agens „Benedictus Deus“, inquit, et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nobis in omni benedictione spirituali in coelestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem“ (Ephes. 1, 3). In eandem fere sententiam Gentium Apostolus loquitur 2

Cor. 1, 3. 11, 31. et Gal. 1, 16 placuisse Deo ait, ut revelaret Filium suum in se (Paulo). Etenim „ubi plenitudo temporis i. e. tempus redemptionis a Deo statutum venisset, Deum Filium suum misisse, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege fuissent, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperent.*) Videmus h. l. Apostolum recte distinguentem inter eam paternitatem, quam Pater ad Filium suum Jesum Christum habet, et eam, quae est ei ratione hominum. Etenim quum Christus Dei Filius essentialiter sit, in quo *πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος* inhabitat, quamquam quod ad ejus humanitatem spectat *ὁρισθεὶς υἱὸς θεοῦ* (Rom. 1, 4) dicatur, homines solummodo ita in *υἱοθεσίαν* vocati sunt (*ὁρισθέντες* Eph. 1, 5) ut per Spiritum Dei et Jesu Christi ex servis filii Dei adoptivi per gratiam efficiantur. Quare S. Paulus 1 Cor. 1, 3 Deum hoc sensu nostrum quoque Patrem appellat (*θεὸς πατὴρ ἡμῶν καὶ κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ.*)

3. De Deo in universum, personarum divinarum ratione non habita, a S. Joanne

---

*) Gal. 4, 4—6.

quoque nihil fere disputatum est, sed quotiescunque de Deo vel Deo Patre sermo est, ita fit, ut subintelligenda sit ratio quaedam ad Filium pertinens. Et recte quidem: etenim quum S. Joannes illud potissimum sibi proposuisset, ut Jesu Christi divinitatem probaret, nihil magis ad eam propositionem illustrandam conferre et valere existimavit, quam ut ex Jesu Christi persona, doctrina atque operibus demonstraret fuisse in eo manifestatam et revelatam Dei Patris gloriam gratiamque divinam. Est Pater Deus invisibilis, quia Spiritus est, fons vitae, luminis ac caritatis: nemo unquam eum vidit (Joan. 1, 18 1 Jo. 4, 20) nisi Filius, qui est in sinu Patris ac Patris numen et voluntatem hominibus revelavit (Joan. 1, 18) Pater fons est et origo vitae aeternae (ὁ πατὴρ ὁ ζῶν) et Filio quoque dedit, ut et ipse vitam haberet in semetipso. Itaque ad vitam veram ac beatam nemo potest accedere nisi per Filium, qui alter Adam generisque humani restaurator, hujus verae et aeternae vitae in terris auctor est et conditor Joan. 5, 11. 12. „Haec est vita aeterna, inquit, ut cognoscant (homines) te solum Deum verum et quem misisti Jesum Christum“ Joan, 17, 30. Idem vero Deus

Pater, vitae aeternae parens, lux est, neque tenebrae in eo sunt ullae. (1 Joan. 1, 5 sqq.) Significatur hoc nomine, quum omnem in Deo inesse perfectionem spiritualem, tum sanctitatem purissimam. Quibus duabus, vitae ac lucis, significationibus omnia continentur alia, quae a S. Joanne de Deo Patre praedicata sunt. Huc illud potissimum pertinet, Deo omnia esse nota et aperta (1 Joan. 3, 20), esse eundem fidelem, veracem, justum (1 Joan. 1, 10) ac summa caritate, vel ut rectius dicam, Deum ipsam esse caritatem 1 J. 4, 8. Manifestata est ea summa Dei erga homines caritas imprimis in Christo Jesu, pro peccatis nostris a Patre tanquam sacrificio propitiatorio in mortem tradito. „In hoc, inquit S. Joannes, apparuit caritas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum.“ 1 Jo. 4, 9. Ita caritas perfectionis divinae quasi culmen et fastigium est. Facile inde sequitur Dei veritas, fidelitas, justitia. In Deo summa est veritas. Jam vero quoniam totius redemtionis a Christo peractae opus in eo nititur, hominem esse peccatorem, is qui hanc veritatem negat, Deum quasi mendacem facit 1 Jo. 1, 10; fidelem

autem et justum esse Deum S. Joannes dicit, quia, quae promisit, exsolvit et suum cuique attribuit. Quum vero redemtio per Christum peracta a Deo fuerit promissa, divinae fidelitatis et justitae est, ut remittat hominum peccata et emundet eos ab omni iniquitate. 1 J. 1, 9.

Praeter has perfectiones divinas, quas vocant *ethicas* in epist. S. Joannis enarratas, S. Joannes in Apocalypsis libro *metaphysicas* quoque Dei perfectiones describit, velut essentiam divinam omni loci et temporis vinculo absolutam 4, 8. 11, 17 cf. etiam ὁ θεὸς ὁ ζῶν 4, 9. 7, 2 15, 7. Docet porro Apocalypsis, Deum omnipotentem creasse omnia et nutu ac ratione sua gubernare mundum universum. 5, 13. 19, 6; 20, 11; 11, 15. 17. Sed haec quoque de Deo Patre memorata sunt non sine aliquo nexu cum rebus christianis et divina Jesu Christi persona, siquidem hac divina Dei Patris potentia mundique gubernatione efficitur, ut Jesu Christi quoque ecclesia triumphatura sit per universum orbem.

4. S. *Jacobus* in epistola sua, ex *activa* potissimum vitae christianae parte egressus, non tam metaphysicam Dei Patris rationem ad Filium, quam potius ethicas

perfectiones divinas descripsit. Appellat Deum Dominum ad significandam ejus dominationem hominumque subjectionem plenissimam. Eundem ex sanctitate sua infinita unum legislatorem dicit esse et veteris testamenti et novi foederis, sed ita ut quemadmodum in V. T. disciplinae severitas, ita in nova lege christiana praevaleret gratia et libertas. Judicare Deum de eo, quod a singulis quibusque actum esset. Verumtamen Deum non velle hominum perniciem, sed ipsorum salutem ac vitam, 4, 12; 1, 21. quia Deus esset et Pater (1, 27) hominum Creator benevolus, cujus imaginem homines in semet ipsis ferrent (3, 9); esse eundem misericordem 5, 11. omniumque bonorum largitorem, neque apud eum esse ullam transmutationem, neque vicissitudinis obumbrationem. Sanctitatem vero divinam tantam esse S. Jacobus affirmat, ut ne purissimum quidem stellarum lumen cum ea possit comparari; totam naturam divinam adeo esse lucidissimam, ut Deus sit Pater luminum (1, 17); neque unquam Deum tentari ab ullo, neque ipsum quemquam tentare. Genuisse eum Christianos verbo veritatis et primitias fecisse totius creaturae 1, 18; velle Deum, ut

homines ab ipso electi non solum divites essent fide, sed et bonis quibusque operibus abundarent: non enim fide sola homines salvari, sed ea fide, quae esset bonis operibus fructuosa (πίστις δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη apud Paulum). Tentatione denique fortiter sustentata ac bonis terrestribus magnanimiter contemtis, id potissimum spectandum esse hominibus christianis, ut haeredes fierent regni coelestis et coronam illam acciperent, quam Deus promisisset iis, qui ipsum diligerent.

Quamquam in hac de vita moribusque christianis doctrina non apertis verbis commemoratum est, qua ratione Deus Pater per Christum in Spiritu Sancto cum hominibus communicaverit et quae ratio inter Deum et Christum Jesum intercedat, tamen ex totius epistolae indole facile apparet, Apostolum tacite concessam posuisse christianam de divina Christi natura doctrinam, siquidem initium regenerationis fit verbo veritatis a Christo nobis revelatae (1, 18) et quod sanctificati sumus Spiritu sancto, qui habitat in nobis (4, 5).

Similem viam in epistola sua, quam Jacobus minor, item Judas secutus est; quare, ne nimis diu in exponenda de Deo

Patre doctrina biblica versari videamur, silentio eam praetermittimus, et jam ad demonstrandam Jesu Christi, Dei Patris Filii unigeniti ac proprii, divinitatem transimus.

2. De persona et dignitate Filii.

A. Quid ipse Dominus de persona sua dixerit, demonstratur.

Postquam de Patris persona ac dignitate disseruimus eumque non solum sensu morali tanquam omnium hominum ac praesertim piorum ac justorum patrem, sed sensu metaphysico Patrem in sacris utriusque Testamenti libris appellari intelleximus, jam de persona ac dignitate Filii ejus unigeniti disputandum nobis est. Ac primum quidem quid ipse Christus de persona sua ac dignitate dixerit, eruendum erit.

1. Saepissime apud Synopticos Christum se Filium hominis (τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου) appellantem audimus et apud Joannem quoque haec appellatio, licet rarius, invenitur (Cfr. Jo. 1, 52. 3, 13., 14. 5, 27)

Semel tantum in Act. Apostolorum S. Stephanus jam moribundus ea appellatione utitur. Quid vero hac sui ipsius appellatione vel cognomine Christus sibi voluit? Si solummodo litteralem hujus nominis sensum spectas, idem fere est quod homo. Ita apud Marc. 3, 28 homines appellantur *υἱοὶ τῶν ἀνθρώπων* (Cfr. Ezech. 40, 4. 44, 5) Quapropter Rationalistae dixerunt, eam appellationem more Orientalium a Christo usurpatam esse loco pronominis „ego", velut homines orientales dicere solerent „servus tuus", vel „ancilla tua" ad significandam ipsorum modestiam.

Sed haec interpretatio quum plerisque in locis aut non sufficeret in explanandis verbis Christi, aut sensum exhiberet prorsus ineptum, necesse erat, ratione historica quaeri appellationis illius explicationem.

Multi veteres et recentiores interpretes hoc nomen ex visione illa Danielis (7, 13) originem duxisse et Messiam significare existimant: et videtur sane, praesertim si Matth. 24, 30 Marc. 13, 26 Luc. 21, 27. 36 Matth. 26, 64 Marc. 14, 62 Luc. 22, 69 conferantur, visio illa Danielis occasionem dedisse Christo, cur ita se appellaret.

Sed inest etiam in ea appellatione sensus quidam moralis vel idealis. Erat enim Jesus Christus generis humani restaurator, alter Adamus, homo κατ᾽ ἐξοχὴν, homo verus et idealis. Itaque nonnullis in locis Christus hoc verbo uti videtur ad significandam naturae suae humanae dignitatem. Plerumque tamen Christus ita se appellabat, ut eximiam suam humilitatem prae se ferret, et manifestaret, se etsi natura divina praeditum tamen veram quoque hominis naturam induisse. Etenim verissime jam Schleiermacherus monuit, quemadmodum Christus se Filium hominis esse contendere non potuisset, si naturae humanae non fuisset particeps, ita inanem et ineptam futuram fuisse illam appellationem, si Christus merus, sicut ceteri homines, homo fuisset.

Itaque dicendum est, Christum se ipsum nominasse Filium hominis, ubi naturae suae humanae conditionem respiceret, ut qui non haberet, quo caput reclinaret (Matth. 8, 20), tradendus manibus peccatorum, Judae osculo impio laedendus, flagellandus, cruci affigendus, occidendus. (Marc. 8, 31 Luc. 9, 58 Matth. 17. 22; 20, 18 etc.) Sed eundem Filium hominis humi-

liatum divinae quoque suae naturae fuisse conscium, loculentissime apparet ex quaestione illa, quem dicerent homines esse Filium hominis? (Matth. 16, 13—16 cfr. Marc. 8. Luc. 9.) Expositis diversis vulgi de Christo opinionibus, quid ipsi Apostoli de persona sua ac dignitate sentirent, interrogavit. Tum Petrus: „Tu es Christus", inquit, „Filius Dei vivi". Itaque „τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρ." et „τόν υἱὸν τοῦ θεοῦ eandem esse personam et ipsum Christum dignitatem sibi attribuisse divinam, nemo unquam negare poterit.

Eodem fere sensu, quo Synoptici, Joannes quoque, licet rarius, quum divinam potissimum Jesu Christi naturam demonstrandam sibi proposuisset, Christum Filium hominis appellat, ita quidem, ut duas naturas, humanam ac divinam, unitate personali conjunctas, quantumvis non fusas neque commixtas, in eo inesse doceat. „Nemo", inquit Christus apud Joannem 3. 13, ascendit in coelum nisi qui descendit de coelo, Filius hominis, qui est in coelo." Per communicationem idiomatum quam vocant, ita locutum esse Dominum, docent sancti Patres: non enim homo Christus vel Christus secundum naturam suam

humanam de coelo descendit, sed aeternus Dei Filius in terris homo factus est et ita quasi descendit de coelis. Propter hanc arctissimam naturae divinae et humanae in Christo conjunctionem Filius hominis vel ante resurrectionem suam „in coelum ascendisse“, vel „in coelum ascendere ibique conversari“, id est cognoscere res divinas, mysteria divina penetrare eaque hominibus explanare dicitur. Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ut qui eum aspexisset, letali serpentis morsu vulneratus sanaretur, ita exaltari oportet Filium hominis, ne quis qui in eum credit pereat 5, 27. Ipse Filius hominis panis vivus est, qui de coelo descendit, quum carnem suam et sanguinem hominibus ad vescendum largiatur cfr. 6, 54. 56. 59; idem filius hominis crucis patibulum perpessus iterum in coelum ascendet, ubi prius erat 6, 62; 8, 28; 12, 32. 34. eidemque, quia Filius est hominis, hominum judicium pater dedit 5, 27.

Ita Synoptici et S. Joannes in eo conveniunt, ut Christum Jesum verum hominem fuisse doceant, sed eundem Filium hominis secundum naturam suam divinam etiam Dei Filium esse verum et unicum aperte profiteantur.

Verumtamen quamquam et Synoptici et S. Joannes eandem Christo dignitatem tribuunt, diversa tamen utriusque partis demonstratio est. Sanctus enim Joannes divinitatem Jesu Christi probaturus ipso evangelii sui exordio divini Verbi praeexistentiam vitamque divinam describit, ita quidem, ut id ipsum Verbum vel eundem *λόγον*, qui inde ab omni aeternitate apud Deum et ipse Deus erat, in tempore humanam naturam induisse demonstret. Synoptici vero magis ex parte humanae Christi conditionis egressi eundem, qui ipse se filium hominis appellabat, etiam naturae divinae participem et verum Dei Filium fuisse probant.

2) Jam igitur, quomodo intelligenda sit altera illa appellatio, qua Christus se Filium Dei esse profitetur, accuratius investigandum videtur. Sunt inprimis hujus nominis a Christo sibi attributi testes loci illi apud Matth. 11, 27 cf. Luc. 10, 22 Marc. 13, 32 Matth. 28, 19 Jo. 5, 19—23. 26. 6, 40 cf. 44. 8, 36. 38 ubi Christus appellatur vel *ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ* vel *υἱὸς θεοῦ* vel simpliciter *ὁ υἱὸς* sc. patris coelestis. In colloquio illo, quod Christus cum Nicodemo habuit, nocturno Christus *ὁ υἱὸς*

ὁ μονογενὴς nominatur, quae verba sine dubio a Christo pronunciata sunt et orationem cum Nicodemo inceptam continuant. (Alii interpretes minus recte ea verba ab Evangelista reflectente vel meditante addita censuerunt).

Quo jure vero Christus se Filium Dei appellaverit, variae inter interpretes non catholicos extiterunt sententiae. Fuerunt, qui ob eam causam Christum hoc nomen sibi sumpsisse censerent, quia in se majus quid ac sanctius quam in ceteris hominibus inesse senserit; vel quoniam propter eximiam suam rerum divinarum et humanarum intelligentiam morumque puritatem divinum quid prae se ferre sibi visus sit; vel quod illud sibi proposuerit, ut homines tum docendo et exhortando tum suo ipsius exemplo ad bene beateque vivendum perduceret et Deo, ipsorum patri, gratiores redderet. Et fuisse eam ipsam causam cur Christus se Filium Dei vocaret, ipsius apud Joannem X, 34 sqq. verba, quae ad Judaeos habuisset, referebant: „Nonne scriptum est, inquit Jesus, in lege vestra: quia Ego dixi, dii estis? — Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, et non potest solvi scriptura: quem Pater sancti-

ficavit et misit in mundum, vos dicitis: Quia blasphemas: quia dixi Filius Dei sum?" — Item apud Luc. 20, 36 ipse Christus homines justos post mortem resuscitatos aequales Angelis esse dixit et esse filios Dei. Et alio tempore, quum Domino renunciatum esset venisse matrem suam et fratres et velle loqui cum ipso, eum sibi matris ac fratris ac sororis loco esse respondit, qui faceret voluntatem Patris sui coelestis. Quibus omnibus ex locis satis apparere dixerunt interpretes Christi divinitatem infitiati, ipsum Dominum non ex causa metaphysica, sed solummodo sensu morali vel metaphorico de se tanquam Dei Filio esse locutum.

Sed has vanas esse objectiones nihilque probare contra Jesu Christi divinitatem et cum Patre consubstantialitatem recte jam veteres doctores catholici demonstrarunt. Ad Joan. 10, 34 sqq. jam Estius bene monuit, non velle Christum hoc argumento probare se esse Filium Dei, (qui revera erat), sed se non male et inconvenienter fecisse, quod se dixisset Filium Dei. Etenim si vel homines, inquit, propterea quod ad illos sermo Dei factus fuerit scriptura Deos vocat, quanto justius ille, quem Pater

sanctificavit et in mundum misit, sine ulla blasphemia vocare se poterit Filium Dei?

Altera vero illa apud Luc. 20, 36 de iis, qui a mortuis resurrexissent praedicatio non ita intelligenda est, quasi futuri sint Filii Dei consubstantiales, sed per gratiam a Deo in vitam beatam adoptati. Eadem fere ratione Christus eos, qui divina mandata observarent, non fratres vel sorores ipsi pares vel eadem divina natura praeditos fore edixit, sed similitudinem tantum quandam cum ipso inituros sibique adeo fore dilectos, quasi essent ipsius fratres vel sorores.

3. Quod quum intelligerent, non posse ita explicari ratione morali nomen Filii Dei Christo proprium, alii interpretes rationalismo quem vocant faventes, Christi dignitatem paullo pluris fecerunt. Docebant enim, hoc nomen convenire Christo propterea, quod esset Messias, rex ille theocraticus, a Deo Judaeis promissus, qui cum esset a Deo ipso institutus ac potestatem haberet divinitus ipsi commissam ad feliciter regendum sanctum populum Dei, quasi esset Jehovae in terris vicarius. Quum omnes gentes regibus suis aliquid divini attribuere solitos fuisse, tum Judaeos potissimum Messiae venturi majestatem ac dignitatem tan-

tam fore existimasse, ut divina virtute a Deo instructus maxima quaeque esset perfecturus. Eam vero virtutem Messianam et dignitatem sibi Christum vindicasse ideoque appellatum esse Filium Dei. Et id quidem egisse salva s. scripturae auctoritate, siquidem ipse Psalmus 2. regi cuidam originem divinam attribuisset pronunciando: „Filius meus es tu: ego hodie genui te“; et Jesaja Judaeorum propheta praeclarissimus c. 9. virtutem divinam Messiae venturi agnovisset.

Sed ne ita quidem explicari potest appellatio Filii Dei a Christo sibi vindicata. Etenim Jesus Christus quantumvis dignitatis suae Messianae sibi conscius eamque aperte professus, tamen, ex quo munus suum Messianum suscepit, non mundanum vel terrenum ipsius regnum esse ostendit, sed prorsus coeleste ac divinum. Quapropter ab omni inani gloria abhorrens falsas Judaeorum de Messia venturo exspectationes aperte refutavit eorumque animos a Deo alienatos ad divinarum rerum studium perducere studuit. Neque ex munere suo Messiano sed ex dignitate longe praestantiore se Filium Dei appellari, luculentissime ipse Salvator Pharisaeis probavit quaestione

illa eis proposita: cujusnam Filius esset Messias? Quum statim responderent, eum Filium esse Davidis, „quomodo vero, inquit, si Davides eum vocat Dominum (ps. 110), Filius ejus est?“ (Matth. 22, 24.) Neque quidquam respondere poterant, quia mente obcaecati non cognoverant, ipsos prophetas Christi personam naturaliter divinam praesignificasse.

4. Alii denique et veteris et recentioris temporis haeretici aeternam ac propriam Jesu Christi generationem negantes eum solummodo inde Filium Dei appellari finxerunt, quod sine ulla viri cooperatione sola virtute Spiritus Sancti in Virginis utero conceptus esset. Id ipsum indicatum esse ab Angelo Mariam sic alloquente: Spiritus Sanctus superveniet in te, et Virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideoque et quod ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei“. Luc. 1, 35.

Sed haec Angeli allocutio sempiternam divinamque Filii generationem non infringit sed confirmat. Etenim Luc. 1, 35 recte sic interpretatus est S. Bernardus (hom. 1. de laud. virg.): „Quod nascetur ex te, vocabitur Filius Dei: hoc est, non solum

qui e sinu Patris in uterum tuum venit, sed etiam id, quod de tua substantia sociabit sibi, ex hoc jam vocabitur Filius Dei, quemadmodum is, qui a Patre est ante saecula genitus, tuus quoque amodo reputabitur Filius.“ — Particula enim διὸ vel latine ideo consequentiam infert ex praecedenti sermone, quo simul mira naturae divinae et humanae unio declaratur. Sed insuper prorsus absurda et inepta illa adversariorum objectio est. Nam si ea de causa J. Ch. Dei Filius appellaretur, quod conceptus est opera Spiritus Sancti, non Filius Dei Patris sed potius Filius Spiritus Sancti dicendus esset. At hoc nusquam habet sacra scriptura. Omnino falsa denique Hugonis Grotii interpretatio, qui Christum tanquam alterum Adamum a Deo ipso procreatum Filium Dei hoc loco appellari censuit.

5. Quanto falsiores sunt istae, quas modo commemoravimus, de persona ac nominatione Filii divini haereticorum opiniones, tanto facilius demonstrari potest, Christum Dominum ita se Filium Dei esse dixisse, ut hunc titulum peculiari ac propria ratione, non infinita illa communique cum Angelis et hominibus vel quibuslibet

cum rebus creatis obtinere debeat. Quod ex eo primum certissime probatur, quod Christus sibi soli attribuit ante mundum constitutum praeexistentiam.

Sunt potissimum hujus praeexistentiae a Christo sibi vindicatae haec duo quae sequuntur testimonia. Apud Joann. 8, 58 Dominus Judaeos indignantes quod Abrahamo se anteposuisset, ita alloquitur: *„Ἀμὴν, ἀμὴν λέγω ὑμῖν, πρὶν Ἀβραὰμ γενέσθαι ἐγώ εἰμι“*. Quae verba nonnulli interpretes protestantes, Socinianos secuti, ita explicuerunt, ut sensus existeret: priusquam Abraham fiat pater multarum gentium in futura conversione jam ego sum salvator vester ac pater. Non ergo inde evinciri somniabant critici illi haeretici Christum Abrahamo praeextitisse. „Est enim, sic disputabant haeretici Sociniani, *τὸ γενέσθαι* fieri, Aoristus verbi *γίγνομαι* vel *γένομαι*, fio. Sed voces aoristicae significationem mutuantur a verbis, quibus junguntur, ita ut si cum praeterito tempore jungantur, praeteritum, si cum praesente praesens significare soleant. Ergo in hoc textu, cum *τὸ γενέσθαι* jungatur *τῷ λέγω* et *τῷ εἰμὶ* praesentis temporis, praesentis significationem habere debet“.

Ad hanc perversam et arbitrariam interpretationem illud monendum est, aoristicas quidem voces indeterminati esse temporis: utrum autem sint praeteriti an futuri eruendum esse ex contextu. Hoc loco vero ex Judaeorum cum Christo disputatione constat, aoristum *γενέσθαι* non praesentis vel futuri sed praeteriti temporis significationem habere; omnisque alia interpretatio sensum exhibet prorsus ineptum et totius orationis rationi omnino adversarium. At, inquiunt Sociniani, si Christus simpliciter existentiam suam ante Abrahamum significare volebat, cur non dixit: „Ego eram" vel „fui"? Respondeo indicari posito tempore praesenti existentiam Christi aeternam, neque temporis neque loci finibus circumscriptam, eamque realem ac personalem velut in Graeco Ps. XC, 2 de Deo praedicatum est: „*Πρὶν τὰ ὄρη γεννηθῆναι σὺ εἶ*, antequam fierent montes, tu es."

Perspecta illius prioris interpretationis haereticae pravitate alii doctores protestantes, velut Baumgarten-Crusius et Lutzius (bibl. Dogm. pag. 293) praeeunte Hugone Grotio hunc locum ita explanarunt, ut ante Abrahamum Jesum divina constitutione fuisse vel divino consilio,

vel existentiam ei fuisse idealem docerent. Sed ne haec quidem interpretatio ferri potest, quia si ita locutus esset Jesus omnino nihil probaturus fuisset contra Judaeorum argumentum. Neque ipsi Pharisaei ea verba ita intellexerunt, ut hypercritici ea exposuerunt, sed Dominum ob blasphemiam lapidibus obruere conabantur, quum ejus responsum recte quidem percepissent, sed ipsius testimonio fidem non haberent.

Verus hujus loci sensus vel planius apparebit, si aliud Jesu Christi de praeexistentia sua effatum audierimus. Salvator noster apud Joan. 6, 62 quum carnem suam manducandam et sanguinem bibendum promisisset iis, qui verae vitae participes vellent esse, indignantibus Judaeis: Hoc vos, inquit, scandalizat? *Ἐὰν οὖν θεωρῆτε τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου ἀναβαίνοντα, ὅπου ἦν τὸ πρότερον;* Jam vero, siquidem Dominus praedixit, se eo rediturum (sc. per ascensionem suam in coelum) ubi prius erat, nullus sanae mentis interpres infitiabitur, locutum esse Dominum, quum diceret *ὅπου ἦν τὸ πρότερον,* sc. ante incarnationem, de reali et aeterna sua apud Patrem coelestem praeexistentia eâque sempiterna.

Gravissimi denique momenti sunt ad demonstrandam Jesu Christi ante incarnationem suam praeexistentiam illa Domini nostri verba, quae ante passionem suam ad Patrem fecit, a S. Joannne 17, 5. 24. enarrata: „Καὶ νῦν δόξασόν με σὺ, πάτερ, παρὰ σεαυτῷ τῇ δόξῃ, ᾗ εἶχον πρὸ τοῦ τὸν κόσμον εἶναι παρὰ σοί, et nunc clarifica me, tu, Pater, apud temetipsum claritate, quam habui prius quam mundus esset apud Te". Et vers. 24: Πάτερ, οὓς ἔδωκάς μοι, θέλω, ἵνα, ὅπου εἰμὶ ἐγὼ, κἀκεῖνοι ὦσι μετ᾽ ἐμοῦ, ἵνα θεωρῶσι τὴν δόξαν τὴν ἐμὴν, ἣν δέδωκάς μοι, ὅτι ἠγάπησάς με προ καταβολῆς κόσμου. Pater, quos dedisti mihi, ut ubi sum ego, et illi sint mecum: ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi: quia dilexisti me ante constitutionem mundi."

Qua oratione omnes auctores catholici interpretantur Christum a Patre petiisse, ut claritas illa vel gloria, quam divina sua natura, antequam mundus fieret, apud Patrem habuerat, cum humana communicaretur. Solus Augustinus*) et Beda de humana natura hoc ipsum intelli-

---

*) tract. 105.

gunt, et ut postea Hugo Grotius ad praedestinationem referunt; humanam enim naturam, etiam antequam mundus fieret, eam habuisse gloriam, quam nunc Christus, quasi jure debitam petat; non re quidem ipsa, sed Patris praedestinatione, qui eam humanae Christi naturae ab omni aeternitate destinaverit, sicut agnus occisus ab origine mundi*) dicitur. Sed Augustinus, ut recte Maldonatus ad hunc ipsum locum monuit, licet infensus alioquin Arianorum hostis, videtur Catholicorum adversus Arianos firmissimum argumentum enervasse. Si enim de praedestinatione hoc intelligatur, quonam modo ex hoc loco probabitur Christi divinitas, quam hoc argumento optimi auctores probaverunt, quod Christus, antequam mundus fieret, gloriam apud Patrem dicatur habuisse, quam si ipse nondum erat habere profecto non potuisset? Ergo D. Augustinus, cum illam de praedestinatione interpretationem adhibuit, aut nihil de Arianis cogitabat aut ut eorum argumentum depelleret nostrum etiam infirmavit. Colligebant ex hoc loco etiam Ariani et alii divinitatis Christi adversarii, Christum non esse

*) Apocal. 13, 8.

Deum, cum a Patre postulaverit, ut se clarificaret, ut ex Athanasio*) et ex Basilio**) et ex Cyrillo†) perspicuum est; quod argumentum cum illis eripere Augustinus vellet, dixit, Christum secundum humanam naturam loqui, secundum quam quia ante mundum non fuisset, neque gloriam ullam habere potuisset, praedestinatione sola dixit habuisse.†*)

Accedit, quod Christus de origine sua coelesti dixit. „Ἐκ τῶν ἄνω εἰμί Joann. 8, 23 i. e. mihi coelestis est origo ideoque coelestia cogito et loquor et facio, non quae sunt τῶν ἐκ τῶν κάτω. Ibid: Ἐγὼ οὐκ εἰμὶ ἐκ τοῦ κόσμου τούτου. Joan. 3, 31: Ὁ ἄνωθεν ἐρχόμενος ἐπάνω πάντων ἐστίν. Eodem loco Christus se ipsum τὸν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἐρχόμενον appellat. Confirmatur haec coelestis J. Xti origo aliis ipsius testimoniis, velut: ἐκ τοῦ θεοῦ ἐξῆλθον 8, 42; παρὰ τοῦ πατρὸς 16, 28 cf. 27 et 17, 8 vel ἀπὸ τοῦ θεοῦ 16, 30; 13, 3 (3, 2); ὁ καταβὰς ἐκ τοῦ οὐρανοῦ 3, 13. 6, 58. 33. & 50: quae effata ad

---

*) Serm. 4. c. Arian.
**) Lib. 5. adv Eunom.
†) lib. 10. thes. c. 9.
†*) Maldon. in S. Joann. c. 17. v. 5.

testandam originem Christi coelestem eo majoris momenti sunt, quo saepius idem eodem se rediturum praedixit, unde exiisset. (Cfr. Jo. 13, 3. 16. 28.) Neque ea testimonia cum Rationalistis sic exponi possunt, ut nihil in iis inesse credatur, nisi singularis quaedam ex providentia divina vocatio, quoniam omnibus hominibus destinatio aliqua est in patriam coelestem perveniendi neque tamen propterea a Deo exivisse vel a Deo in hunc mundum missi dicantur. Quodsi Christus se de coelo descendisse, et ad Patrem iterum reversurum esse gloriabatur, id sensu longe sublimiori et proprio percipiendum est et ad vitam ipsius praeexistentem et divinam pertinet.

Fuisse Jesum Christum verum ac consubstantialem Dei Filium ipsius verbis declaratum secundo inde sequitur, quod vitae divinae plenitudinem absolutam in se habere confirmaret. Eam vitam divinam, omnis vitae causam et principium, a Patre quidem secum communicatam habet, sed ita communicatam habet, ut ipsi quoque sit propria: *Ὥσπερ γὰρ ὁ πατὴρ ἔχει ζωὴν ἐν ἑαυτῷ, οὕτως ἔδωκε καὶ τῷ υἱῷ, ζωὴν ἔχειν ἐν ἑαυτῷ* Joan. 5, 26 — Haec vero vita vel *ζωή*, quae inest in Patre et

Filio, quum non solum ad essentiam divivinam pertineat, sed etiam *δύναμιν τοῦ ζωοποιεῖν* contineat, Filius quoque quibuscum voluerit vitam communicare potest tam spiritualem quam physicam. Sed ob eandem *ζωὴν* etiam judicium facit hominum. Est enim duplicis efficaciae illa *ζωὴ* jam in terris. Quoniam *ζωὴ* illa simul lux est et veritas eo ipso excludit et damnat omnia falsa et impura: non possunt consociari lux et tenebrae, mors et vita. Tum vero etiam ratione positiva Filius cum hominibus vitam vel *ζωὴν* communicat, quum ad veram et immortalem animi et corporis vitam eos perducat, ut jam in terris homines cum Deo uniti vitam suam et spiritualem et physicam ita agant, ut satisfaciant libere ac voluntarie ideae hominis primariae, qua homo a Deo creatus est sublata omni naturae spiritualis ac physicae dissensione et restituta voluntatis humanae cum voluntate divina concordia.*) — Insuper Filius potestatem habet suam ipsius vitam sc. humanam deponendi iterumque assumendi neque quis-

---

*) Conf. Adalb. Maieri expositio exegetico-dogmatica notionum christianarum *ζωή, κρίσις καὶ ἀνάστασις*.

quam est, qui eam vitam ei possit eripere Joan. 10, 17. 18. Propter eandem vitam divinam, quam in se habet, quantumvis occisus, resurgit et homines quoque mortuos in vitam revocat. Quapropter perspicuum est, non ita in Christo esse vitam divinitus communicatam quemadmodum in creaturis, sed inesse in eo vitam divinam essentialem ac propriam.

Demonstrat tertio Filius veram suam divinitatem ac generationem ex Patre essentialem per totam suam agendi rationem, quum doceret, se eadem facere, quae Pater faceret, neque Filium a se quidquam facere, nisi quod vidisset Patrem facientem, omniaque sibi demonstrari a Patre. Cfr. Joan. 5, 17. 19. 20 deinde 21—30; 8, 28 quod idem fere est ac si dixisset, se agere non ut hominem ratione humana sed ex natura sua divina divina ratione operari. Quantum divinitatis argumentum inesset in hac demonstratione, ipsi Judaei recte intellexerunt: „quaerebant enim Jesum interficere, quia non solum solvisset sabbatum, sed et Patrem suum diceret Deum, aequalem se faciens Deo.“ Joan. 5, 16. 18.

Neque ullis aut temporis aut loci aut

quibuscunque aliis impedimentis et finibus circumscriptam esse ipsius operationem rationemque agendi ideoque omnia humana opera infinite superare, aperte Christus pronuntiavit. „Mihi", inquit, „data est omnis potestas in coelo et in terra, et ecce vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi" (Cfr. Matth. 28, 18). Jam prius Matth. 18, 20. ubi si duo vel tres in nomine ipsius essent congregati ibi se fore in medio eorum affirmavit.

Luculentissima denique Jesu Christi confessio esse se verum, proprium ac consubstantialem Dei Patris Filium, illa certe est, quod neque Apostolis neque Pharisaeis, qui ipsum sic intellexerant, contradiceret, sed eorum opinionem ac fidem confirmaret. Ita quum S. Petrus, referente S. Matthaeo 16, 16 praeclarissimam illam confessionem faceret: „Tu es, inquit, Christus Filius Dei vivi", ea verba non ita ad Dominum locutus est, quasi dicere vellet, Jesum esse Christum, esse Messiam, esse Filium Dei adoptivum; quippe id antea Petrus audierat ab Andrea (ut constat ex Joan. 1, 41.) sed fuit ea, testante Christo, revelatio aeterni Patris, non carnis et sanguinis vel mortalis hominis. Quare propter eam veram et ex-

imiam confessionem S. Petrus ceteris Apostolis anteponi meruit et praeclarissima laude a Domino celebrari. Accedit quod quum Judaei in Dominum lapides conjicere vellent, quia Patrem suum (Graece πατέρα ἴδιον) dixisset Deum et aequalem se Deo fecisset, eorum opinionem non modo non emendavit, sed se abscondendo ut veram demonstravit. Item quum Christus dixisset Marthae: „Ego sum resurrectio et vita ... Credis hoc?“ respondit Martha: „Utique Domine, inquit, ego credidi (i. e. persuasum habeo) quia tu es Christus Filius Dei vivi.“

Quid? quod Christus accusatus fuit ab ipso Judaeorum Pontifice, quod se praedicasset Filium Dei. Cfr. Joan. 19, 7. Juramento enim summus Pontifex Christum interrogaverat, ut diceret, si esset Filius Dei vivi, quam interrogationem Christus affirmavit. Quapropter pontifices eorumque satellites nefarii ad Pilatum dixerunt: „Nos habemus legem, et secundum eam legem debet mori, quia Filium Dei se fecit.“ Illud vero certissimum est, non fuisse accusatum Jesum, quod se fecisset Filium Dei adoptivum aut metaphoricum; nam etiam Judaei dicebant: „Unum Patrem habemus Deum.“ Joann. 8, 41.

Docuisse autem Dominum semper eadem de persona ac dignitate sua divina, quum plurimis locis s. scripturae probari possit, liceat mihi adhuc duo tantum hujus rei testimonia afferre. Dicebat Jesus homini illi caeco, quem sanaverat (Joan. 9, 35) „Tu credis in Filium Dei"? — Respondit ille et dixit: „Quis est, Domine, ut credam in eum?" Et dixit ei Jesus: „Et vidisti eum, et qui loquitur tecum, ipse est." Tum ille ait: „Credo, Domine". Et procidens adoravit eum. — Divinitatem Jesu Christi confessus quoque est Thomas, cum Christi resurrectione perculsus dixit: „Dominus meus, et Deus meus!" (*Ὁ κύριός μου καὶ ὁ θεός μου*) Joan. 20, 28. Nonnulli interpretes his vocibus non Christum, sed ipsum Patrem compellari finxerunt*) aut saltem prima verba *ὁ κύριός μου* ad Christum, quae sequuntur ad Patrem referenda existimabant. Sed hae nugae neque Grotio neque recentioribus interpretibus paulo sanioribus arriserunt. Docet enim conceptis verbis scriptura haec ad Christum dicta esse: „Respondit Thomas et dixit ei: Dominus meus et Deus meus!" Sed si

*) Praeeunte Theod. Mops.

semel constet, ut profecto constat, haec ad Christum fuisse dicta, frustra idem Grotius et qui eum secuti sunt plures alii Protestantium interpretes his vocibus resurrectionis Jesu Christi gloriam, non divinae naturae majestatem declarari dicunt. Quae enim resurrectioni necessitudo cum divinitate? Quis ex eo, quod aspiciat hominem redivivum, Dominum illum ac Deum esse concludat? Sed si is, qui ex mortuis resurrexit ante mortem suam docuerat se esse Dei Filium, et ob eam doctrinam ab inimicis occisus est: illius divinitatem resurrectio certissime confirmat; ac si quis tanto miraculo perculsus ei, qui resurrexit, dicat: „Dominus meus et Deus meus!“ non aliam ob causam ita eum compellari possit, nisi quod illius doctrinae veritatem certissima fide complexus eum verum Dei Filium ac Deum esse confitetur. Laudat ipse Christus magnificam hanc Thomae confessionem et omnes haereticorum conatus evertit: „Quia vidisti me, Thoma, inquit, credidisti: beati qui non viderunt et crediderunt.“ — Jam vero rei creatae prorsus inconcessum est, ut se Dominum ac Deum vocari patiatur. At Christus, qui hactenus divinitatem suam praedicare, atque omnia

sibi divinitatis attributa sumere non destiterat; qui a Judaeis occisus fuerat, quia proprium Patrem dicebat Deum, aequalem se faciens Deo; qui Philippum etiam reprehenderat, quia aequalitatem Patris et Filii minus attente considerare videretur: jam a discipulo vocatus Dominus et Deus, laudat illius fidem, ut sibi honorem non indebitum esse testetur.

Quae omnia Jesu Christi de ipsius persona et dignitate effata et testimonia verissima qui consideraverit, num infitiari poterit, Christum se esse professum Filium Dei verum ac proprium? Et ipsi Apostoli, Ejus discipuli et testes fidissimi, eandem, ut jam demonstraturi sumus, Christo dignitatem divinam attribuerunt.

B. De testimoniis, quae SS. Apostoli in litteris sacris de persona ac dignitate Jesu Christi scripta nobis reliquerunt.

Quum veram divinae personae Jesu Christi imaginem ex diversis SS. Apostolorum libris describendam aggressuri sumus, hoc von ita nobis proposuimus, ut existi-

mari possit non idem omnes de divino nostro Redemtore sensisse Apostolos: quod quidem tantum abest, ut verum sit, ut unam eandemque sententiam illos in hac re habuisse facile demonstrari possit. Sed quum, ut ceteri homines, sic Domini discipuli quoque suam quisque haberet proprietatem in demonstranda veritate christiana neque omnes illae gentes, quibus evangelium praedicarent, eodem essent ingenio, necessarium fuit, ut pro rerum vel hominum conditione Apostoli diversas demonstrandi rationes sequerentur. Quacunque tamen ex parte in describenda Salvatoris nostri persona et dignitate egressi sunt, omnes ad unum in eo conveniunt, fuisse Jesum Christum verum ac proprium vel essentialem Dei Patris Filium. Videamus ergo, quibus de causis quod diximus possit probari; ac primum quidem, ut par est, Apostolorum principis sententiam audiamus, exponentes

a.) Qua ratione S. Petrus de Jesu Christi divinitate in epistolis suis locutus sit.

In omnibus fere S. Petri orationibus, quas aut in Apostolorum Actis aut in S. Petri epistolis scriptas habemus, exordium

facit a Christo Jesu, qui in terris apparuit, electus a Patre et praedestinatus ante omnia tempora hominum Salvator. Eundem Christum unctum a Spiritu Sancto docet esse vitae auctorem incontaminatum, sine quo salvus fieri nemo possit. Distinguit porro in Christo, quod ad naturam ejus humanam attinet, duplicem statum et passionis et glorificationis. Etenim Jesum Christum pro nobis passum et crucifixum, sed de morte resuscitatum jam esse ad dexteram Patris exaltatum et iterum venturum cum gloria judicem universi generis humani.

De dignitate divina Jesu Christi ita sentit, ut eandem ei quam Deo Patri doxologiam tribuat. Sed haec in universum dicta jam accuratius explanemus.

S. Petrus quum de natura Christi humana loquitur, majus quid et altius prae ceteris hominibus in eo agnoscit. In illis, quae in Apostolorum actis insunt S. Petri orationibus, non solum dignitatem Messianam Christo propriam, sed etiam virtutem Messianam, qua unctus sit a Deo, commemoratam legimus. Cfr. 10, 38 sq. 4, 27 cf. etiam 2, 22.

Ea vero unctio Spiritus Sancti ad munus Christi theocraticum pertinet ac pleni-

tudinem virtutis Messianae in Christo significat, qua omnibus veteris Testamenti prophetis major ac sublimior apparet 1. Petr. 1, 10 sqq. Appellatur porro Christus a S. Petro ἀρχηγὸς τῆς ζωῆς vitae dux et princeps Act. 3, 15. 5, 31. non solum vitae spiritualis sed etiam physicae sive naturalis, quapropter homo ille claudus in ejus nomine sanatur. Act. 3, 6. Eadem de causa quum auctor vitae sit vitamque in semetipso habeat, ipsius resurrectio per se ipsa necessaria fuit: ζωοποιηθεὶς τῷ πνεύματι 1 Petr. 3, 18. Ipsi Christiani homines per resurrectionem Christi renati dicuntur, quia resurrectio quasi apex est et fastigium totius redemptionis. Sed resurrectio fieri non potuisset nisi Christus esset incontaminatus omnisque labis peccative nescius. Etenim quo pacto Christus se ipsum sacrificium propitiatorium pro hominum peccatis et delictis Deo Patri offerre potuisset, si ipse addictus et subditus fuisset peccato? aut quo jure exemplo suo homines ad colendam virtutem ac perfectionem christianam excitare potuisset admisso aliquo vitio? Itaque Apostolorum princeps Jesajanum illud de Christo vaticinium respiciens Jesum Ep. I. 1, 19 ἀμνὸν

ἄμωμον καὶ ἄσπιλον nuncupat, qui quum malediceretur, non maledicebat: quum pateretur non comminabatur: tradebat autem judicanti se injuste: qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum: ut peccatis defuncti, justitiae viveremus: cujus livore sanati sumus. I. Petr. 2, 23. 24. — Est igitur Christus, quum omnes homines sint ἄδικοι, ipse solus δίκαιος 1. Pet. 3, 18.

Manifestata deinde est Jesu Christi divina potentia per Ejus descensum ad inferos, ubi licet mortuus κατὰ τὴν σάρκα sed vivus κατὰ τὸ πνεῦμα αὐτοῦ spiritibus ante ipsius in terris adventum defunctis praedicabat 1 Petr. 3, 19 sqq. Post gloriosam vero suam resurrectionem in coelum elatus subjectis sibi Angelis et potestatibus in virtutibus jam sedet ἐν δεξιᾷ τοῦ θεοῦ i. e. particeps est divini honoris ac potentiae.

Haec igitur, quae de dignitate Jesu Christi Messiana a S. Petro docentur, ut vidimus, divinam Ejus naturam indicant. Etsi illud divinitatis Jesu Christi adversariis concedendum est, neque in S. Petri orationibus, quas Acta Apostolorum exhibent, neque in ipsis ejus epistolis appellationem

Christi τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ inveniri — etenim significatio illa, quae nonnunquam adhibetur (cfr. Act. 3, 13. 26. 4, 27. 30) παῖς θεοῦ idem videtur esse quod „servus Dei“ sensu theocratico — tamen alia sunt divinitatis Ejus testimonia gravitate non inferiora. Ita ipsa illa δόξα quam Salvatori adscribit, eum esse naturae divinae aperte demonstrat. Deinde illud est animadvertendum, appellari Deum Patrem Domini nostri Jesu Christi 1 Pet. 1, 3. quod non sensu morali vel metaphorico sed sensu proprio ac metaphysico intelligendum esse supra jam diximus. Si vero Deus verus Christi Pater, Christus verus Dei Filius. Accedit, quod S. Petrus Spiritum Dei Christi quoque Spiritum appellat I, 1, 11. ac triplicem salutis nostrae causam divinam statuit I, 1, 2.

Est denique ad demonstrandam Jesu Christi divinitatem, quam quidem S. Petrus statuit, illud testimonium gravissimum, quod ille fideles exhortatur, ut Domino Jesu Christo debitam adorationem venerationemque divinam exhibeant. Ita doxologia illa, quae 4, 11 exstat, ex constructione sua ad Christum est referenda et prorsus cum ea consentit, quam idem Apostolus 5, 11.

in Deum pronunciavit. Alius locus quidam 1 Pet. 3, 15. Jesajae 8, 13 simillimus, ubi de Deo sermo est, ad Christum pertinet.

Secundam Epistolam ita incipit S. Petrus, ut Christo et nomen Dei et divinam potentiam manifeste adscribat. Deinde quomodo divina illius virtus omnia, quae ad vitam veram et pietatem spectant, nobis donaverit per cognitionem illius, qui vocavit nos propria virtute et gloria, demonstrat. In iis, quae sequuntur, divinam Christi naturam praedicat, dum nos divinae naturae, propterea quod Christus habitat in nobis, dicit esse consortes; et ut ne quid deesset quo Christum probaret esse Filium Dei, illud quoque addidit, ipsum spectasse, quum Christus in monte transfiguratus esset, illius majestatem et audivisse testimonium, quod Filio Deo Deus Pater exhibuit.

Haec de divinitate Jesu Christi doctrina a S. Petro ipsius epistolis pronunciata aperte demonstrat, credidisse Apostolorum principem in Jesum Christum Dei Filium verum ac proprium. Quapropter jam ad explanandam S. Pauli de divina Jesu Christi persona ac natura sententiam pergimus.

b) De iis, quae S. Paulus de persona ac dignitate Jesu Christi docuit.

In ea, quam in tradenda veritate christiana S. Paulus persecutus est, via ac ratione minus ex Christologia, quam vocant, exorsus est, sed potius anthropologiam ut dicunt, primo loco posuit. Quod quum dico, non ita intellectum volo, quasi vel parum vel nihil in S. Pauli epistolis de Christi natura ac dignitate insit: imo S. Paulus quoque, praeclarissimus ille doctor Gentium, totum redemtionis opus arctissime cohaerere cum Salvatoris nostri divinitate aperte profitetur.

Etenim quum universum genus humanum non ex justitia sua vel antiquae legis operibus salvum fieri posset, sed morte Jesu Christi cruenta cum Deo expiandum in statum justificationis restituendum esset, nonnisi per Christum redemtio nostra fieri potuit, eaque ipsa re redemtorem toto genere humano sublimiorem et novi in terris ordinis auctorem divinum esse oportuit.

Quod vero speciatim ad Jesu Christi personam attinet, S. Paulus Salvatoris nostri humanitatem vel humanam in Christo naturam agnoscit et saepissime de ea loqui-

tur. Ita Jesum factum ex muliere *γενόμενον ἐκ γυναῖκος*, e Judaeorum natione Davidis et Abrahami prolem Rom. 9, 3—5; 1, 3. 2 ad Tim. 2, 8 ad Gal. 3, 16 edicit. Quamquam vero supranaturalem Jesu Christi generationem non expressis verbis commemorat, attamen eam non excludit sed potius tacitus agnoscit, quia etiam divinam Salvatoris nostri naturam docet. Idem Jesus Christus in similitudinem hominum factus (i. e. natura humana excepto peccato indutus) et habitu inventus ut homo (Phil. 2, 7. 8) semetipsum humiliavit et crucis patibulum subiit (1 Cor. 1, 23 2 Cor. 13, 4) crucifixus autem, mortuus et sepultus (1 Cor. 15, 3. 4) surrexit tertia die (1 Cor. 15, 4) jamque exaltatus est in coelo ad dexteram Dei (ad Rom. 8, 34 Col. 3, 1 Phil. 2, 9—11 Ephes. 1, 20—22).

Ea vero vitae Jesu humanae momenta non tanquam eventus fortuiti a S. Paulo describuntur, sed demonstrantur ad redimendos homines fuisse necessaria. Quapropter appellationem hominis S. Paulus solummodo ita Christo attribuit, ut eum plus quam hominem fuisse primo aspectu facile appareat. Eadem de causa Christus

tanquam ἔσχατος Ἀδὰμ vel δεύτερος ἄνθρωπος primum generis humani auctorem, primum Adamum, dignitate infinite superat (Rom. 5, 12) quoniam primus homo de terra terrenus, secundus homo de coelo coelestis (1 Cor. 15, 47). Est primogenitus in multis fratribus (Rom. 8, 29), siquidem ceteri homines illi conformes illiusque vitae coelestis participes fieri debent (Cfr. 1 Cor. 15, 49). Est ὁ μὴ γνοὺς ἁμαρτίαν, quia omni peccato exemtus nullam ullius in se labis habet experientiam (2 Cor. 5, 21 Rom. 5, 18 Phil. 2, 6.) et hostiam immaculatam Patri coelesti suo morte expiatoria sese obtulit. Sed iis ipsis locis, ut jam diximus, ubi de humanitate Jesu Christi sermo est, hoc ita fit, ut divina quoque Christi natura inde eluceat. Cfr. Rom. 9, 5 Gal. 4, 4. Quid? quod ipsam humanam Jesu Christi naturam quodammodo restringere videtur: velut 1 Tim. 3, 16 ἐφανερώθη ἐν σαρκί vel Phil. 2, 7. 8 ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γενόμενος καὶ σχήματι εὑρεθεὶς ὡς ἄνθρωπος, non quod Christus non fuisset homo verus, sed quia non simplex homo sed etiam Deus fuit. (Cfr. etiam Rom. 8, 3.)

Jam inde apparet, docuisse Sanctum

Paulum Jesu Christi ante incarnationem existentiam. Ita S. Paulus eum praesentem describit in Judaeorum per desertum migratione (1 Cor. 10, 4) eumque solum *κύριον* appellat *δι᾽ οὗ τὰ πάντα* 1 Cor. 8, 6. quoniam in eo inest *τὸ πνεῦμα ζωοποιοῦν*. Accedit quod Apostolus de Christo accepta hominis natura se ipsum humiliante loquitur. Si vero Christi in carne praesentia humiliatio quaedam erat, majorem antea dignitatem ei propriam fuisse facile exinde concluditur. Hanc vero in demonstranda Jesu Christi divinitate rationem auctor potissimum in illis, quas ad Philippenses et Colossenses scripsit epistolis prosequitur. Ita Phil. 2, 6—11 a primaria Jesu Christi cum Deo Patre aequalitate et dignitate, quam apud Deum habuit, exorsus, eum semetipsum exinanivisse et usque ad mortis turpissimae ignominiam sese humiliasse, sed ob eam ipsam humiliationem exaltatum esse docet. Haec vero dignitas a Deo Patre Christo concessa non ea erat, quam antea secundum naturam suam divinam non habuisset, siquidem jam prius ilud ei proprium erat *εἶναι ἴσα θεῷ*. Quapropter ea Domini nostri exaltatio, de qua S. Paulus loquitur, non ad divinam

ejus naturam pertinet, quum Christus jam esset ἐν μορφῇ θεοῦ, sed exaltationem naturae in Christo humanae designat.

Quae S. Pauli de divina Jesu Christi praeexistentia reali doctrina vel planius exposita est Col. 1, 13—20 (cfr. etiam 2, 9. 3, 1—4). Ibi gentium doctor egressus a Filio dilectionis divinae τοῦ υἱοῦ της ἀγάπης αὐτοῦ (sc. θεοῦ) accuratius illius personam et diversas ejus tam ad Deum Parem quam ad mundum creatum et Ecclesiam ab ipso conditam rationes, ac conditiones describit. Ex ea ratione, quae inter Filium et Deum intercedit, Filius est εἰκὼν τοῦ θεοῦ τοῦ ἀοράτου vel is, in quo refulget divina majestas ac gloria (Cfr. ad Heb. 1, 3 Joan. 14. 9) Deusque invisibilis manifestatus est mundo. Est idem πρωτότοκος πάσης κτίσεως, quae imago ex Hebraeorum institutis ac rebus civilibus depromta videtur, quia apud illos primogenitus dominus esset ceterorum fratrum atque haeres universalis,*) qua quidem significa-

*) Confr. Genes. 49, 3. — Apocal. 1, 5 appellaturChristus ὁ πρωτότοκος τῶν νεκρῶν, quia omnium primus a mortuis resurrexit. — Alii sic exposuerunt, ut dicerent Christum esse τὸν πρωτότοκον quod genitus esset a Patre ante mundi creationem.

tione tantum abest ut Christus ipse ab Apostolo in rerum creatarum numero habitus sit, ut universa in coelis et in terris, visibilia et invisibilia, sive thronos sive dominationes sive principatus sive potestates, omnia denique per ipsum et in ipso condita esse ac creata edoceat. (Ad Coloss. 1, 16 sqq.) Deinde ea, quae inter Christum Jesum tanquam κεφαλὴν τοῦ σώματος τῆς ἐκκλησίας et ipsam Ecclesiam intercedit, ratione considerata, in Christo solo omnem plenitudinem inhabitare (πᾶν τὸ πλήρωμα sc. τῆς θεότητος) demonstrat. Neque ea verba divinitatem Salvatoris nostri ratione morali vel typica significant, sed sensu proprio ac metaphysico, ut apparet ex c. 2, v. 9., ubi in Christo corporaliter (σωματικῶς) inhabitare dicitur omnis plenitudo divinitatis, quibus verbis inhabitatio corporalis opponitur inhabitationi, quae est per gratiam et energiam sive inoperationem, quomodo in omnibus justis hominibus Deus habitat. Nec vero de ea divinitate inhabitante loquitur Apostolus, sed inhabitationem divinitatis in Christo corporalem ita intelligit, ut per unionem ipsius divinitatis cum corporea substantia seu carne humana Christi personam esse vere ac naturaliter divinam profiteatur.

Si denique illud additur, quod Christo effectus adscribuntur, qui ab hominibus fieri non possunt Col. 2, 10. 3, 4. 11. 1, 20—22. 27. Ephes. 1, 6. 7. 10. 23. 4, 10. 1 Cor. 15, 45. 2 Cor. 3, 17 Rom. 8, 9—11. 1 Cor. 4, 4 sqq. Rom. 2, 16. 14, 11. 2 Thess. 1, 7—10. 1 Cor. 8, 6 Rom. 14, 7—9. 18 Gal. 2, 20. et veneratio et adoratio eadem tribuenda est a fidelibus Christianis Jesu Christo, quae Deo Patri 1 Cor. 1, 2 Rom. 10, 2 et ipse Paulus Christum invocat 2 Cor. 12, 8 sqq.: quaestio sane inutilis est ac supervacua criticorum, utrum Christus in S. Pauli epistolis etiam nominatim θεὸς appellatus sit necne. Negabant id esse grammatici quidem infideles et increduli, quippe Tit. 1, 3; 2, 10; 3, 4 nomen θεοῦ pertinere affirmabant ad Deum Patrem, qui ipse σωτὴρ appellatus esset; in secunda vero ad Timotheum epistola 3, 16 lectionem esse dubiam, neque praeclarissimo illo loco ad Rom. 9, 5 significationem θεοῦ necessario ad Christum referendam esse dicebant. Concedimus quidem in prioribus quos commemoravimus locis nomen θεοῦ referendum esse ad Patrem, excepto Tit. 2, 13 ubi articulo semel tantum po-

sito lex grammatica et ipse sensus verba, illa τοῦ μεγάλου θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν ad Jesum Christum jubet referri, nisi forte scribentis negligentia articulus ante verbum σωτῆρος omissus est;*) concedimus porro lectionem 1 Tim. 3, 16 θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκί esse dubiam, quum permulti codices ὅς, alii ὅ exhibeant: sed etiamsi ὅς legatur, e verborum sensu sequitur, Christum praeexistentem mirum in modum in carne apparuisse. Omnium vero ejusmodi locorum primarius est ep. ad Rom. 9, 5: Χριστὸς . . ὁ ὢν ἐπὶ πάντων θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας, ubi et sermonis ordo et structura grammatica vocem θεὸς de Christo praedicatam esse aperte demonstrant. Etenim quum in prima versus parte de humana Jesu Christi natura sermo fuerit, jam in sequenti orationis parte divinae dignitatis Christi mentio fit. Altera illa Rationalistarum**) interpretatio, quae post verba

---

*) Ephes. quoque 5, 5. verba τοῦ Χριστοῦ καὶ θεοῦ procul dubio ad unam eandemque Jesu Christi personam referenda sunt.

**) Praeeunte Erasmo hanc rationem secuti sunt Semler, De Wette aliique Protestantium interpretes.

τὸ κατὰ σάρκα *) orationem finitam esse censet et reliqua tanquam doxologiam ad Deum Patrem pertinentem designat, difficultate grammatica laborat. Etenim si haec phrasis doxologia haberetur Dei Patris, ita ut verbum ἐστὶν vel εἴη esset supplendum, adjectivum illud verbale εὐλογητὸς anteponendum fuisset, ut constat ex constanti Graecorum usu loquendi (cfr. etiam 2 Cor. 1, 3). Sancti igitur Pauli quae hucusque tractavimus de Christi Jesu natura divina testimonia non modo ipsius Domini et Evangelistarum effatis nihil derogant, sed etiam seorsim considerata firmiorem fidem vindicant. Atque illud quidem facile in primis perspicitur, Christum in his testimoniis Paulinis ita appellari Filium Dei, ut Filius e coelo ad salvandos homines in terram missus intelligatur. Etenim quum ait Paulus: Ὅςγε τοῦ ἰδίου υἱοῦ οὐκ ἐφείσατο, ἀλλὰ ὑπὲρ ἡμῶν πάντων παρέδωκεν αὐτόν, πῶς οὐχὶ καὶ σὺν αὐτῷ τὰ πάντα ἡμῖν χαρίσεται, ecquis Christum Dei Filium esse proprium ac verum amplius dubitaverit?

---

*) Alii post verba ἐπὶ πάντων orationem interpunxerunt, velut Wetstein, Ammon, Baumgarten-Crusius.

Liceat vero etiam afferre quaedam ex iis, quae in illa ad Hebraeos epistola de Jesu Christi natura ac persona divina exstant: nam etiamsi non ipse S. Paulus eam scripsit, tamen sub ipsius auspiciis a S. Barnaba scripta videtur. Ex divinitatis plenitudine, quam Pater Filio tradidit, intelligi et explicari debet praeclarissimum illud hujus epistolae exordium: „Πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως πάλαι ὁ θεὸς λαλήσας τοῖς πατράσιν ἐν τοῖς προφήταις ἐπ᾽ ἐσχάτου τῶν ἡμερῶν τούτων ἐλάλησεν ἡμῖν ἐν υἱῷ, ὃν ἔθηκεν κληρονόμον πάντων, δι᾽ οὗ καὶ ἐποίησεν τοὺς αἰῶνας, ὃς ὢν ἀπαύγασμα τῆς δόξης καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ φέρων τε τὰ πάντα τῷ ῥήματι τῆς δυνάμεως αὐτοῦ καθαρισμὸν ποιησάμενος τῶν ἁμαρτιῶν ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ τῆς μεγαλωσύνης ἐν ὑψηλοῖς, τοσούτῳ κρείττων γενόμενος τῶν ἀγγέλων ὅσῳ διαφορώτερον παρ᾽ αὐτοὺς κεκληρονόμηκεν ὄνομα.“

Cujus loci auctoritatem ut infringerent, nihil intentatum reliquerunt divinitatis Jesu Christi adversarii. Dixerunt, verba illa ὃς ὢν ἀπαύγασμα τῆς δόξης καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ nihil aliud nisi eximiam Jesu Christi humanitatem significare, qua divinum quid prae se ferret. At vero

cum auctor tanto praestantiorem esse Angelis Filium demonstret, quanto differentius prae illis nomen haereditavit, ecquis dubitet, quin ex nomine scriptor concludendam esse naturam ac dignitatem Filii dicere velit? Neque verba illa: splendor gloriae et character substantiae ejus aliud quid sunt, quam Filii nominis explicatio. Significant enim Filium coaeternum esse et consubstantialem Patri, siquidem splendor ejusdem naturae ac gloriae aeque aeternus est, atque character substantiae Filium designat, in quo, tanquam in sigillo, si ita dici fas est, tota Patris impressa est substantia, ita ut perfectissima sit imago Patris. Haec autem ut necessaria sunt ad veri Filii notionem, ita omnino abhorrent a rei creatae natura et conditione.

Cui Filii notioni respondet illud: „*δι᾽ οὗ καὶ ἐποίησεν τοὺς αἰῶνας*,“ per quem fecit et saecula. Quae verba quum minus commoda essent criticis quibusdam, legerunt: *δι᾽ ὧν*, ut sensus existeret: „quapropter“ fecit et saecula. Confugerunt alii interpretes ad futurum saeculum sive Evangelii institutionem; Hugo Grotius ad causam finalem: illud enim *δι᾽ οὗ* idem esse dixit ac *δι᾽ ὅν*, ac vetus Hebraeorum Rabbinorum

esse dictum, mundum propter Messiam conditum esse: quae omnes interpretationes tam legibus grammaticis quam ipso sensu refelluntur. (Cfr. etiam Hebr. 2, 10.)

Ita quum omnia divinitatis attributa Christo propria a S. Paulo tradantur, neque quidquam de divina natura cogitari possit quod non illi tribuatur, dubium esse non potest, quin dignitas illa divina, quam Salvatori nostro adscripsit, non ex sensu quodam metaphorico, sed ex vera illius natura divina petita sit.

Exposita igitur S. Pauli de Christi Persona doctrina, jam ad ea transimus, quae S. Joannes in libris et epistolis suis de Christo vero Dei Filio exhibet testimonia manifestissima.

c) S. Joannes Jesum Christum verum esse ac proprium Dei Filium testatur.

S. Joannes in sublimi illo ac magnifico evangelii sui exordio naturam ac personam divinam Jesu Christi ita definivit, ut Christum *τὸν λόγον* appellaret. Quis fuerit hujus appellationis sensus vel quomodo interpretanda sit haec notio, non ex doctrinis a veritate christiana alienis, sed ex ipsa

evangelii Joannei ratione eruendum videtur. Licet enim Apostolus externam quoque habuerit occasionem, de qua infra disputabimus, cur ad significandam Jesu Christi personam divinam eo vocabulo uteretur: propria tamen ac verissima causa, cur tam sublime de Christi divinitate scripserit, ipsa profunda S. Joannis rerum divinarum contemplatio est, qua velut aquila in ipsum coelum evolans divina mysteria revelaret. Cujus contemplationis sublimis quasi summa est et fastigium praeclarissimum illud evangelii Joannei exordium, quo quid ipse de divini Verbi natura sentiret et qua ratione percipienda esset Christi in terris vita opusque redemtionis divinum quasi summatim explanavit. Dum Synoptici ex Jesu Christi genealogia humana egrediuntur, S. Joannes aeternam Jesu Christi generationem in exordio suo enarrat.

Quodsi jam accuratius illius exordii argumentum examinamus, triplicem apparebit fuisse S. Apostoli intentionem: ut existentiam aeternam divini Verbi et rationem quam ad Deum haberet describeret, tum vero relationem, quae intercedit inter λόγον et mundum physicum ac spiritualem sive moralem explanaret et incarnationem denique Verbi

divini in terris opusque ejus salutare paucis indicaret.

Ante omne tempus mundumque creatum (*ἐν ἀρχῇ*) i. e. inde ab omni aeternitate jam fuisse *τὸν λόγον* et quidem hypostatice distinctum a Deo Patre, siquidem esset *πρὸς τὸν θεὸν* apud Deum, sed ita, ut cum Deo haberet naturae vel substantiae unitatem: *θεὸς ἦν ὁ λόγος.* Etenim quum divina natura vel essentia una sit et simplex, inde sequitur, *τὸν λόγον*, quod ad ejus personam attinet, a Deo Patre esse distinctum, sed ejusdem naturae divinae esse sive consubstantialem. *Πάντα*, inquit, *δι᾽ αὐτοῦ ἐγένετο.* Est igitur *ὁ λόγος* is, qui ideam divinam creandi mundi exsecutus est, sed ita exsecutus est, ut ea idea sua quoque esset et ipse ageret non tanquam Dei instrumentum vel minister sed tanquam creator efficax et omnipotens, quum Pater ei dederit vitam habere in semetipso. Tum vero S. Joannes progreditur ad rationem, quae inter Verbum sive *λόγον* et genus humanum intercedit. *Ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν. Ἡ ζωὴ* sive vita, quam Filius in se immanentem habet, non solum potentiam sive vim vivificantem (*ζωοποιεῖν*) sed etiam veram hominum vitam conservantem et re-

staurantem. Id quum partim fiat per illuminationem hominum de verae vitae conditione ac ratione ἡ ζωὴ τοῦ λόγου appellatur etiam τὸ φῶς τῶν ἀνθρώπων sive lux, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Eam vero lucem, quae in tenebris quoque lucet, homines a Deo alienati non comprehenderunt, quia tenebras magis diligerent quam lucem. Qui vero homines eam recipiunt filii Dei fiunt renati ex Deo. Neque tamen in his praeparationibus Verbi divini sive τοῦ λόγου efficacia acquievit, sed quum temporis plenitudo venisset, per incarnationem humanam naturam induit (καὶ ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο) et inter homines habitavit iisque suam gloriam, veritatem ac gratiam divinam manifestavit.

Haec fere sunt, quae in evangelii Joannei exordio de Logo praedicantur. Jam igitur quaeritur, quomodo ex his attributis intelligenda sit τοῦ λόγου Joannei natura divina ac persona.

Illud quidem inprimis certum est, plurimas istas Rationalistarum τοῦ λόγου expositiones ex ipsius exordii evangelici ratione esse rejiciendas. Ita non idem est ὁ λόγος quod verbum Dei sensu communi vel veritas

per Christum nobis revelata, ut quidam interpretes recentioris ac veteris temporis somniabant, neque illud significat, quod alii fingebant, Christum esse τὸν λόγον propterea, quod esset ὁ λέγων sive auctor doctrinae vel quia verba Dei nunciaret. Sed cum haec rei explicandae ratio et longius petita sit et impedita ipsis legibus grammaticis, maluerunt alii Verbum sive λόγον, per quem facta sunt omnia, interpretari rationem ipsam divinam sive sapientiam divinam; quae quum in Christo clarius resplenduerit quam in ipsa rerum creatione et arctius cum eo, quam cum ulla unquam creatura conjuncta fuerit, caro quodammodo facta diceretur: quia Christi caro nubes quaedam fuerit gloriosa, in qua se Deus conspicuum novissimis temporibus exhibuerit. At vero haec omnia adeo leviter conflata sunt, ut qui ea refutare velit operam perdiderit. Quod quum ipsi divinitatis Jesu Christi adversarii intelligerent, ad aliam τοῦ λόγου interpretationem se converterunt.

Docebant, repetiise S. Joannem eam περὶ τοῦ λόγου doctrinam a Philonis, philosophi illius Alexandrini, theosophia, in qua multum disputatum est de Logo tan-

quam de numine, a summo Deo distincto, cujus numinis opera et intercessione mundus creatus esset. Sed ea Philonis *περὶ τοῦ λόγου* opinio et doctrina cum Logo Joanneo nihil fere commune habet nisi nomen; cetera vero omnia, quae ab utroque scriptore de Logo praedicantur, prorsus sunt diversa et inter se contraria. *Ὁ λόγος* ab Joanne descriptus e natura sua Deus est, ut supra vidimus, persona divina, Filius Dei unigenitus, in quo vita absoluta est et per quem mundus creatus; is, ubi temporis plenitudo advenit, humanam naturam assumpsit et ad redimendum mundum homo factus est. Quae omnia praedicata et attributa cum Philonis logo non conveniunt. In quibusdam quidem locis Philo *λόγον* suum Deum appellat, sed eum *δεύτερον θεὸν* esse dixit, qui q u u m c r e a t u r a s i t p r i m o g e n i t a (*ὁ υἱὸς πρεσβύτερος*) neque *ἀγέννητος* est ut summus Deus, neque eodem modo cum ceteris creaturis creatus: sed quasi medius inter Deum et homines existit: minor illo, his major. Jam inde apparet, Philonis *λόγον* non esse personam realem; sed et alia Philonis de logo suo effata satis demonstrant, Philonem *λόγῳ* suo existentiam tri-

buisse non personalem. Appellat eum mundum intelligibilem κόσμον νοητὸν, idearum ideam vel ideam universalem, rerum creatarum vinculum, rerum catenam ac legem, harmoniam mundi, rationem universalem*): et ea ipsa nomina, quae λόγον Philonis personalem esse indicare videntur, velut ἀρχιερεὺς vel εἰκὼν τοῦ θεοῦ, si accuratius examinantur ideae tantum sunt personificatae. Neque ὁ λόγος apud Philonem creator est absolutus, sed instrumentum tantummodo quo usus Deus mundum creavit ex materia aeterna. Ita duobus principiis aeternis a Philone constitutis neque sermo de incarnatione τοῦ λόγου esse neque ulla mundi generisque humani redemtio fieri potest. Quomodo enim Deus, qui ex sua ipsius natura sanctissimus et purissimus est, cum materia, quam Philo impuram ac malam esse dicebat, unionem hypostaticam unquam inire posset? Quapropter eas ipsas τοῦ λόγου manifestationes, ubi specie humana apparuit, Philo inanes ac simulatas esse contendit.

Apparet igitur, eam quam Philo de

*) ἰδέα τις ἡ σφραγὶς, νόμος, δεσμὸς τῶν ὅλων ὁ ὀρθὸς τῆς φύσεως λόγος, ἡ τοῦ πάντος ἁρμονία. κ. τ. λ.

Logo sententiam habuerit, prorsus alienam esse a Joannis doctrina neque eandem originem habere. Videtur potius S. Joannes, quod ad nomen *τοῦ λόγου* attinet, quo aeternum Dei Patris Filium eidemque consubstantialem appellaret, similes quasdam Judaeorum Palaestinensium appellationes spectasse, quibus mediatorem vel intercessorem aliquem inter Deum et mundum ac praesertim populum electum significarent. Et revera hujus opinionis testimonia indubia exstant in chaldaica illa antiquissima Pentateuchi et Prophetarum paraphrasi ab Onkelo et Jonathane conscripta, ubi saepius revelationes divinae et manifestationes voluntatis divinae, quae in sacro Hebraeorum codice Deo adscriptae sunt, per Verbum vel *λόγον* factae enarrantur. Ea vero persona medians מֵימְרָא (i. e. *λόγος* s. verbum) vel שְׁכִינָה (habitatio) appellata et a Deo summo distincta cogitata est.*)

Ad hanc de mediante quadam persona opinionem facile theologi Judaei adducti sunt nonnullis sacrae scripturae locis, ubi de Angelo Domini (מַלְאַךְ יְהוָֹה) sermo est,

---

*) Cfr. hac de re, quae ab Adalb. Maiero in Comm. suo in S. Joann. evangelium pag. 120 sqq. uberius ac planius exposita sunt.

per quem Deus se manifestavit et qui ipse Deus appellatur. Cfr. 2 Mos. 3, 2; 2 Mos. 23, 20 2 Mos. 33, 2; 4 Mos. 20, 16 Jes. 64, 9 Mal. 3, 1.

Ex ejusmodi revelationibus s. textus indicatum esse colligebant s. Scripturae interpretes quum omnem operationem divinam in creando et sustentando mundo tum Israelitici populi gubernationem a numine quodam fieri, quod a Deo personaliter quidem distinctum sed ejusdem cum ipso esset naturae divinae. Cur vero ea persona divina λόγος appellata sit, facile est intellectu. Etenim quum in veteri testamento Dei cogitationes divinae et voluntas divina loquendo potissimum revelatae essent, non alienum videbatur, quum illae revelationes per numen aliquod personale, a Deo personaliter distinctum fieri crederentur, ipsum illum, per quem Deus cum hominibus communicaret, appellari τὸν λόγον.

Cum sublimi illa ac praeclara ratione, qua in evangelio suo S. Joannes de Verbi divinitate quasi vates ab ipso Deo illuminatus locutus est, etiam cetera ejusdem Evangelii Joannei de divina Jesu Christi natura testimonia planissime consentiunt. Ubique Domini de divinitate ipsius effata

sensu simplici ac proprio intelligit, et quamvis in aliis rebus explicandis summam diligentiam adhibuerit, ne Christi verba falso exciperentur, (Cfr. Joann. 2, 19. 6, 5. 11, 11.) tamen quotiescunque de Filio Dei sermo est non modo nullam metaphoram aut allegoriam indicat, sed verba Christi mirifice confirmat. Quin etiam adeo studuit, per totam enarrationem suam evangelicam demonstrare, Christum verum Dei Filium esse, ut si quid diceret Christus interdum, quod cum his magnificis notionibus videri posset minus congruere, S. Joannes eos, qui legerent, moneret, ne ad verbum et litteram sumerent. Ita quum Christus Philippo diceret: Unde ememus panes, ut manducent hi? ne quis inde concluderet, Christum dubitasse et animo haesitasse, observat Joannes 6, 5. haec eum dixisse, non quod animi penderet, quid faceret, sed ut tentaret Philippum. „Hoc autem dicebat tentans eum: ipse enim sciebat, quid esset facturus.“

Quod spectat ad sermones Jesu Christi a S. Joanne relatos, ut recte jam monuit Maranus, praeclarissimus divinitatis Jesu Christi saec. XVIII vindex, vel manifestis metaphorae notis signari debuerunt, si

metaphoris carebant; vel si carebant certissimis argumentis muniri. Refert Joannes apertissime Judaicas criminationes, quod Christus, cum Josephi Filius crederetur, e coelo venisse se diceret, et ante Abrahamum esse, quum nondum annos quinquaginta natus esset, denique quod, quum homo esset, Deum se et aequalem Deo faceret. Refert similiter ut Synoptici, accusatum fuisse Jesum blasphemiae et morte condemnatum, quia Filium se Dei esse diceret. Haec confidentia in criminibus referendis, argumento est, minime dubitasse S. Joannem, quin Judaei minus recte Christi verba intellexissent, sed potius eorum damnasse incredulitatem et animorum pervicaciam.

Huc accedit, quod Joannes tot tantaque miracula a Christo patrata esse dicit ad probandam suam divinitatem, quare Judaeos arguit, quod illi Christi testimonio fidem non haberent. „Cum autem, inquit, tanta signa fecisset coram eis, non tamen credebant in eum". 12, 37. Hinc sequitur, vituperari Judaeos non quod Christi verba et doctrinam non recte intellexerint, sed quod fidem non habuerint, quamquam difficultas credendi, quae ex

rerum propositarum magnitudine nascebatur, satis superque miraculis superata fuerit.

Quapropter S. Joannes quaecunque de miraculis Christi scripsit, eo consilio a se scripta testatur, ut credamus *ὅτι Ἰησοῦς ἐστιν ὁ Χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ.*

Ut Evangelium ita Epistolas quoque eo consilio scripsit unus omnium dilectissimus Domini discipulus, ut Jesum esse verum Filium Dei confiteretur. Ita primam epistolam exorditur a sublimi et magnifico Filii divinitatis praeconio, *ὃς ἦν ἀπ᾿ ἀρχῆς ὁ λόγος τῆς ζωῆς καὶ ἐφανερώθη ἡμῖν. Τίς ἐστιν,* inquit, *ὁ νικῶν τὸν κόσμον, εἰ μὴ ὁ πιστεύων, ὅτι Ἰησοῦς ἐστιν ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ;* (1 Joan. 5, 5) *Καὶ αὕτη ἐστὶν ἡ ἐντολὴ αὐτοῦ, ἵνα πιστεύσωμεν τῷ ὀνόματι τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ.* (1 Jo. 3, 23) *Εἰς τοῦτο ἐφανερώθη ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ, ἵνα λύσῃ τὰ ἔργα τοῦ διαβόλου.* 3, 8. Ibid. 4, 10 *Ἐν τούτῳ ἐφανερώθη ἡ ἀγάπη τοῦ Θεοῦ ἐν ἡμῖν, ὅτι τὸν υἱὸν αὑτοῦ τὸν μονογενῆ ἀπέσταλκεν ὁ Θεὸς εἰς τὸν κόσμον, ἵνα ζήσωμεν δι᾿ αὐτοῦ. Ἐν τούτῳ ἐστιν ἡ ἀγάπη, οὐχ ὅτι ἡμεῖς ἠγαπήσαμεν τὸν θεὸν, ἀλλ᾿ ὅτι αὐτὸς ἠγάπησεν ἡμᾶς καὶ ἀπέστειλε τὸν υἱὸν αὑτοῦ ἱλασμὸν περὶ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν.*

Quidquid vero in ea epistola disseruerat, ea in fine ejusdem epistolae paucis verbis comprehensa repraesentat: *Καὶ οἴδαμεν,* inquit, *ὅτι ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ ἥκει καὶ δέδωκεν ἡμῖν διάνοιαν, ἵνα γινώσκωμεν τὸν ἀληθινὸν θεὸν, καὶ ἐσμεν ἐν τῷ ἀληθινῷ, ἐν τῷ υἱῷ αὐτοῦ Ἰησοῦ Χριστῷ. Οὗτος ἐστιν ὁ ἀληθινὸς θεὸς καὶ ζωὴ αἰώνιος.**)

Christus in Apocalypsi denique a S. Joanne magnificis ornatur appellationibus eique consentanea huic dignitati opera tribuuntur, quae divinam illius majestatem ac summum in humanas mentes et in res omnes creatas imperium declarant. Ita S. Joanni is apparuisse narratur „qui tenet septem stellas in manu sua, qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum" (Apoc. 2, 1) Appellatur *τὸ Α καὶ τὸ Ω,* primus et novissimus, Ibid. 8. 10. 11; 22, 12 principium et finis: qui dat coronam vitae, et vincentem edere concedit de ligno vitae, quod est in paradiso, et efficit, ut qui vicerit, non laedatur a morte secunda: Filius Dei, qui habet oculos tan-

---

*) Falso Lutz: Bibl. dogm. pag. 338 per metonymiam explicat: in Jesu nos habere Deum, id est communicationem cum Deo!

quam flammam ignis et pedes Ejus similes aurichalco“. Sic divinam suam potestatem declarat: „Et filios ejus interficiam in morte, et scient omnes ecclesiae, quia Ego sum scrutans renes et corda; et dabo unicuique vestrum secundum opera sua. Et qui vicerit et custodierit usque in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes. Ibid. 18. 23. 26. Sanctus et verus, qui habet clavem Davidis, qui aperit et nemo claudit, claudit et nemo aperit, summum in hominum corda dominatum exercet. Cfr. Apoc. 3, 7. 9. 10. Vocatur Christus *βασιλεὺς βασιλέων καὶ κύριος κυρίων* 17, 14; 19, 16 rex regum et dominus dominantium, *καὶ κέκληται τὸ ὄνομα αὐτοῦ ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ* 19, 13. Eadem igitur adoratio idemque cultus Patri et Filio defertur: *Τῷ καθημένῳ ἐπὶ τοῦ θρόνου καὶ τῷ ἀρνίῳ ἡ εὐλογία καὶ ἡ τιμὴ καί ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων!*“

Quibus omnibus consideratis neminem esse arbitror, qui sano judicio ac sana mente dubitare possit quid de divina Jesu Christi persona senserit is, qui omnium praeclarissimus exstet verae ac propriae Jesu Christi divinitatis propugnator et vindex acerrimus.

3. De Sancto Spiritu.

Quae Spiritus Sancti notiones ac promissiones in Veteris Testamenti libris insunt, eas in Novo Foedere non solum expletas videmus, sed multo plura ac majora de Spiritus Sancti persona et efficacia tum ipsis Jesu Christi verbis tum ipsius Spiritus Sancti manifestationibus nobis afferuntur.

Ac primum quidem revera in Christum tanquam Messiam Sanctum Spiritum supervenisse constat ex solemni illa ad Jordanem inauguratione, id quod tamen non ita intelligendum est, quasi Spiritus S. eodem modo, quo in prophetis prioris testamenti efficax esset, cum Jesu communicatus sit, sed teste S. Joanne Baptista S. Spiritus super Jesum mansit (Jo. 1, 33 cf. 32. 34) et sine mensura idem Spiritus Sanctus datus est Christo (Ibid. 3, 34), quapropter non in aqua sed in Spiritu Sancto baptizat. (Joa. 1, 33. cf. Matth. 3, 11 Marc. 1, 8 Luc. 3, 16.)

Ipse Christus quum de S. Spiritu loquitur, eum πνεῦμα vel τὸ πνεῦμα appellat Jo. 3. 5. 6. 8 πνεῦμα θεοῦ Matth.

12, 28 (cf. Luc. 11, 20) vel *πνεῦμα τοῦ πατρὸς ὑμῶν* Matth. 10, 20 vel *τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον* Matth. 12, 32 Marc. 3, 29 (cf. Matth. 28, 19 Act. 1, 8) *πνεῦμα ἅγιον* Luc. 11, 13 vel *τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας* Jo. 14, 17. 16, 13 (cf. 7 sqq. et 15, 26). Appellatur denique S. Spiritus *παράκλητος*, quia quasi advocatus Apostolorum ceterorumque fidelium est, eosque in omnem veritatem perducit.

Quid igitur de Sancto Spiritu Christus docuit? Ad solvendam hanc quaestionem apud S. Joannem duo potissimum loci pertinent: ac primum quidem praeclarum illud, quod Dominus cum Nicodemo habuit colloquium, ubi quicunque renatus non esset ex Spiritu Sancto in regnum Dei intrare posse negatur; tum sermones illi, quibus jamjam in coelum rediturus Christus promisso Spiritu Sancto moestos discipulorum animos confirmat et consolatur. Illud quidem maxime inde apparet, quae inter ipsum Dominum et sanctum Spiritum ratio intercedat et quae sit Sancti Spiritus virtus divina et efficacia.

Docet Christus se Spiritum Sanctum missurum esse a Patre Joann. 15, 26; 16, 7. 20, 22; se rogaturum esse Patrem,

ut Spiritum Sanctum cum eis communicet Joann. 14, 16. 17 et quidem in nomine ipsius (sc. Christi) 14, 26; procedere Spiritum a Patre 15, 26; eam missionem Sancti Spiritus fore post ipsius a morte resurrectionem et in coelum reditum: si ipse non discederet, Spiritum Sanctum non esse venturum 14, 28. Ipse Christus resuscitatus Spiritum Sanctum cum Apostolis communicare coepit 20, 22 sed plenissima Sancti Spiritus effusio demum festo pentecostali post Domini ascensum evenit.

Spiritus Sancti virtutem divinam Salvator ita descripsit, ut illius efficaciam quum ad omnes homines tum ad discipulos pertinere ediceret. Etenim Christus, cum discipulos suos mitteret „sicut oves inter medios lupos“ eisque opus longe difficillimum, totius orbis conversionem committeret, praesidium eis consolatoris vel rectius advocati et patroni pollicitus est, qui eos omnem veritatem edoceret et in eis ante reges et praesides stantibus loqueretur, eumque paracletum nunquam ab eis discessurum sed *εἰς τὸν αἰῶνα* apud eos esse mansurum 14, 16. 17. Eundem Sanctum Spiritum testimonium esse perhibiturum de Christo 15, 26; Spiritum vero non a semetipso

loqui sed ea communicare, quae Patris sint et Filii 16, 13. 14. Itaque omnia, quaecunque Christus docuisset, in Apostolorum memoriam Spiritum Sanctum esse revocaturum 14, 26 et quae ipsi non satis intellexissent, explanaturum. Quapropter ubi semel Spiritum Sanctum accepissent nihil amplius discipulos esse rogaturos, sed quidquid a Patre in nomine Jesu petiissent, eis eventurum. 16, 23.

Sed ad ceteros quoque homines in universum Spiritus Sancti efficaciam pertinere Christus edixit. Etenim Spiritus divini opera effici, ut homines renascerentur et participes essent regni coelestis. Joann. 3, 5. Idem Spiritus Sanctus quoniam generationem illius novae auctor est, quasi aqua viva aridas hominum mentes recreat, ita quidem, ut vita illa nova, quam per Spiritum Sanctum acceperint, cum fonte perenni comparari possit saliente in vitam aeternam 4, 10. Spiritum Sanctum porro caritatis vinculo omnes fideles inter se sociare et cum semetipso unire edocuit. Jo. 13, 34. 15, 17. 12.

Sed quemadmodum ad fideles ita Spiritus Sanctus ad homines quoque a Christo et Deo alienatos (ὁ κόσμος) rationem quan-

dam habet: *ἐλέγξει γὰρ τὸν κόσμον περὶ ἁμαρτίας καὶ περὶ δικαιοσύνης καὶ περὶ κρίσεως.* Arguit enim et convincit mundum (id enim verbum *ἐλέγχειν* h. l. significat) de peccato infidelitatis (*ὅτι οὐ πιστεύουσι εἰς Χριστὸν*): particula *ὅτι* h. l. explicandi vel exponendi causa usurpatur. Arguit et convincit mundum *περὶ δικαιοσύνης*: sub verbo *δικαιοσύνη* ipse Christus intelligendus est, ut apparet ex verbis subsequentibus: *ὅτι ὑπάγω κ. τ. λ.*; ex Christi ad Patrem reditu et resurrectione Sanctus Spiritus hominibus demonstrat justam esse Jesu Christi causam et ipsum *εἶναι τὸν δίκαιον* (1 Jo. 2, 1.) Ex ea ipsa vero Jesu Christi justificatione sequitur functio tertia Sancti Spiritus: *ἐλέγχει τὸν κόσμον περὶ κρίσεως* sc. *τοῦ διαβόλου*, *ἡ κρίσις* enim hoc loco idem est quod *κατάκρισις*. Jam nunc Spiritus immundus, princeps hujus mundi, judicatus vel potius damnatus est (cf. Joann. 3, 18) a Spiritu Sancto, quoniam demonstrat Jesum Christum *τὸν δίκαιον* elevatum esse ad dexteram Dei eique datam esse a Patre totius mundi dominationem: quicunque ergo salvi esse vellent, iis credendum esse in Jesum Christum, ut per ipsum justificarentur, ait Dominus: qui vero non haberent

τὴν πίστιν ἐνεργουμένην δι' ἀγάπης, eos cum principe hujus mundi damnato incidere εἰς τὴν κατάκρισιν.

Eadem fere quae apud Joannem sunt Jesu Christi de Spiritus Sancti efficacia effata et doctrinae apud Synopticos quoque. Ita apud Luc. 24, 49 Dominus promittit discipulis suis τὴν δύναμιν ἐξ ὕψους cf. Act. 1, 8. — Jam ap. Matth. 10, 20 Luc. 12, 12 quum discipulos ad subeundum munus evangelicum instrueret, eis ne solliciti essent, quid loquerentur vel quomodo sese defenderent apud infensos judices, interdixit: „οὐ γὰρ ὑμεῖς ἐστε, inquit οἱ λαλοῦντες, ἀλλὰ τὸ πνεῦμα τοῦ πατρὸς ὑμῶν τὸ λαλοῦν ἐν ὑμῖν." Cfr. etiam Luc. 21, 15. — Praeterea Christus Patrem suum petentibus Spiritum bonum daturum esse aperte affirmavit.

Quae omnia Jesu Christi de Spiritu Sancto promisso effata vel clariora erunt, ubi quid Apostolis de iis visum sit, paucis demonstraverimus. Atque

Inprimis quidem apud S. Petrum multa de Spiritu Sancto disputantur. Appellatur πνεῦμα ἅγιον 1 Petr. 1, 12 Act. 5, 3. πνεῦμα θεοῦ 1. P. 4. 14 πνεῦμα Χριστοῦ 1 Petr. 1, 11. πνεῦμα κυρίου Act. 5, 9

vel simpliciter πνεῦμα sine ulla adjectione. Eundum Spiritum unum esse cum Deo apparet ex Act. 5, 4. 3. 9. ubi Ananias Spiritui Sancto mentitus Deo mentitus esse dicitur. Eadem porro in hominum animis per Spiritum Sanctum efficiuntur, quae vult Deus in eis efficere 1, P. 1, 2. Quapropter idem Spiritus rationem necessariam habet ad Jesu Christi personam Ejusque opus salutare. Communicatur Sanctus Spiritus a Christo resuscitato Act. 2, 33 non solum cum Apostolis tanquam primis evangelii praeconibus 1 Petr. 1, 12 sed etiam cum omnibus Christi fidelibus Act. 2, 38. 10, 47. 11, 15 sqq. 15, 8 sq. ita quidem, ut super eosdem requiescat 1 P. 4, 14. eosque perpetuo expiet et sanctificet 1, 2. 22 et quantumvis a mundo infido propter Christi nomen exprobratos beatos reddat. 4, 14. Hic Spiritus adeo est ipsius Christi quoque Spiritus, ut vel in quantum in Prophetis veteris testamenti operatus est, a S. Petro Spiritus Christi dicatur 1, 11 sed ita, ut christiana demum aetate planissime manifestatus sit et in ipsis Christi fidelibus inhabitet. Quapropter appellatur fidelium communio οἶκος τοῦ θεοῦ 4, 17 vel οἶκος πνευματικός. Illud denique ad-

dendum est, a S. Petro quoque triplicem salutis nostrae causam statui: Patris, Spiritus Sancti ac Jesu Christi cfr. 1, 2.

Non aliter de Spiritu Sancto cum fidelibus communicato S. Paulus sentit. Fidelibus christianis Christi morte expiatoria cum Deo reconciliatis Spiritus Sanctus datus est, a quo caritas Dei diffusa est in corda eorum (Rom. 5, 5).

Est Spiritus vitae *πνεῦμα τῆς ζωῆς* Rom. 8, 2. vel *πνεῦμα θεοῦ* sive *Χριστοῦ* qui in fidelibus inhabitat. Rom. 8, 9 sq. 15 sq. 26 sq. 1 Cor. 2, 12. Eam Spiritus Sancti communicationem S. Paulus non minus a Deo Patre factam esse docet (Rom. 5, 5. Gal. 4, 6 2 Cor. 1, 22. 5, 5 Eph. 1, 13 sq. 2 Cor. 3, 3) quam ab ipso Christo, quoniam Christi quoque Spiritus est et ii solummodo, qui in communione Christi sunt et cum Christo peccatis suis defuncti (Rom. 7, 6) eum possunt accipere Cfr. 1 Cor. 12, 14. — Idem Spiritus Sanctus hominibus christianis mysteria Dei revelat: omnia enim etiam profunda Dei scrutatur 1 Cor. 2, 10. Nemo in Spiritu Dei loquens dicit anathema Jesu. Et nemo potest dicere, Domine Jesu, nisi in Spiritu Sancto 1 Cor. 12, 3. — Spiritus Dei homines idoneos

reddit, ut resistant omni libidini et secundum Spiritum vivant (κατὰ πνεῦμα περιπατοῦντες οὐ κατὰ σάρκα Rom. 8, 3 9) quacunque virtute praediti. Gal. 5, 22 Eph. 5, 9. Spiritus Sanctus est, qui Christianorum animos tranquillat, fiduciam Dei piam eis largitur et intimae cum Deo et Christo communionis conscientiam πνεῦμα υἱοθεσίας in eis excitat. Gal. 4, 6 1 Cor. 6, 11. — Orationibus fidelium subvenit Rom. 8, 26 eosque vel in rebus adversis et angustis spe laeta afficit Rom. 8, 28; 15, 13. Accedunt denique dona illa S. Spiritus supranaturalia, de quibus S. Apostolus 1 Cor. c. 12 et c. 14 loquitur.

Nemo ex his, quae modo de Spiritu Sancto exposita sunt, dubitare potest, quin sit persona divina.

Ipsa Spiritus et Paracleti nomina personam haud dubie designant. Postquam praecessit nonnullis in locis τὸ πνεῦμα, quod verbum neutrius est generis, adhibetur vox ἐκεῖνος, ut persona significetur. Praeterea qui mittitur ad Apostolos et cum eis manet, absentis magistri vices sustinens, qui ab Apostolis cognoscitur, a mundo vero neque videtur neque scitur; qui Apostolos docet omnia eisque suggerit quae-

cunque ex magistro divino audierant: cujus in nomine baptizamur, quique testimonium perhibet de Christo et mundum arguit de peccato et justitia et judicio: qui denique loquitur, audit, accipit a Filio, annunciat Apostolis, quae audivit; hunc Spiritum personam esse, nemo est qui non intelligat. At dixerunt πνευματομάχοι, ea omnia de Spiritu Sancto praedicata nihil aliud esse nisi personificationem quandam divinae alicujus efficientiae. Eam efficientiam a Christo sub variis nominibus variisque allegoriis describi pronunciant. — Quae sententia quam impia sit ac prorsus falsa, optime, opinor, ita intelligetur, ut Spiritui Sancto omnes divinae personae proprietates attributas esse demonstremus.

Ejusdem personae Sancti Spiritus divinitas jam liquet inde, quod dicitur a Patre procedere. Quidquid vero ex Deo procedit necesse est ut Deus sit, nisi forte dicimus ex Dei substantia mancum aliquid et imperfectum et Deo dissimile posse procedere. Deinde vero quae res creata docere omnia, perducere in omnem veritatem possit et Apostolis in variis orbis regionibus dispersis quid agendum sit praescribere, in eis habitare et Christi dicta in memoriam

illis redigere? Immensus est ergo ille veritatis Spiritus eique traditi sunt omnes thesauri scientiae, qui in Patre sunt ac Filio, idemque ipsa numinis divini profunda perscrutatur. Est etiam invisibilis et incomprehensibilis siquidem eum mundus non scit neque cognovit. Accedit Spiritus sancti omnipotentia, quae a Christo aperte confirmatur. Quod enim ait fore ut Spiritus Sanctus mundum arguat et convincat de peccato et justitia et judicio, manifeste declarat fidei christianae propagationem mundique conversionem non ad homines referendam esse sed ad Spiritus Sancti operam. — Quanta sit Spiritus Sancti majestas ex illis Christi verbis spectare licet quae apud Matth. 12, 31 leguntur: „Omne peccatum, inquit Dominus, et blasphemia remittetur hominibus, at Spiritus blasphemia non remittetur. Et quicunque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc saeculo neque in futuro.“ Ipsum blasphemiae crimen, de quo hic agitur, probat, Spiritum Sanctum esse personam: divinam esse personam ostendit criminis magnitudo et gravitas. — Christus se ipsum comparat cum Spiritu

Sancto: et quamvis quatenus Deus est, Spiritum Sanctum mittat ac Spiritus ab ipso procedat, tamen quatenus homo, majorem se esse Spiritum agnoscit et peccatis in Filium hominis commissis longe graviora esse docet ea, quae in Spiritum Sanctum committantur.

Sed omnem dubitandi locum praecludit Christus, cum Spiritum nonmodo Paracletum sed etiam alium Paracletum id est personam sibi aequalem et consubstantialem vocaverit. Tanta est inter Filium et Spiritum Sanctum aequalitas, ut altero abeunte alter adveniat. „Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos". Joan. 16, 7. Christus itaque ut discipulorum de ipsius discessu tristitia affectorum et dolorem leniret et erigeret fiduciam, alium eis Paracletum pollicitus est, cujus ex majestate et intima cum Patre et Filio conjunctione omnem consolandi et hortandi rationem deducit.

Quomodo vero Apostoli eas Christi de Spiritus Sancti persona divina praedicationes intellexerint, dubium non erit consideranti, quam ipsi de ea re opinionem habuerint. Agnoverunt omnes ad unum personalem S. Spiritus existentiam, quoniam eum ex

sua voluntate agere et quidquid ipsi placuisset, efficere dicebant. Ita mirabile linguarum donum non solum ipsius summa potestate perfectum docent, sed etiam arbitrio distributum et temperatum. „*Καὶ ἐπλήσθησαν ἅπαντες πνεύματος ἁγίου, καὶ ἤρξαντο λαλεῖν ἑτέραις γλώσσαις, καθὼς τὸ πνεῦμα ἐδίδου ἀποφθέγγεσθαι αὐτοῖς*“ Act. 2, 4. — Sic etiam Apostolos jejunantes et Domino administrantes alloquitur Act. 13, 2: „*Ἀφορίσατε δή μοι τὸν Βαρνάβαν καὶ Σαῦλον εἰς τὸ ἔργον, ὃ προςκέκλημαι αὐτούς.* Eodem pertinet illud S. Pauli 20, 23: *τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον κατὰ πόλιν διαμαρτύρεταί μοι, λέγον, ὅτι δεσμὰ καὶ θλίψεις με μένουσιν.*“ Et paullo post: „*Προςέχετε ἑαυτοῖς καὶ παντὶ τῷ ποιμνίῳ, ἐν ᾧ ὑμᾶς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἔθετο ἐπισκόπους, ποιμαίνειν τὴν ἐκκλησίαν τοῦ κυρίου, ἣν περιεποιήσατο διὰ τοῦ αἵματος τοῦ ἰδίου*“.

Multa alia in eandem sententiam afferri possunt, velut cum dicitur spiritus omnia scrutari etiam profunda Dei, singulis dividere prout velit, et quae alia sunt ejusmodi. Quare quum omnia, quae personae divinae propria sunt, S. Apostoli ad Spiritum Sanctum conferant, dubium non est quam de eo habuerint sententiam. Si solummodo

efficientiam quandam divinam sive *ἐνεργείαν*, quam vocant, Spiritus Sancti nomine designaverunt, tam inauditum allegoriae genus ab ipsis explicari oportebat; inprimis a S. Joanne, cujus tanta esse solet in ejusmodi rebus explicandis diligentia. At Christi verba non indigere ulla explicatione, sed clara et aperta esse existimat. Quum Christus Spiritum Sanctum sub imagine aquae vivae designet, admonet Joannes, haec eum „de Spiritu, quem accepturi essent credentes", dixisse. Videbatur ergo Christus subobscure loqui, quum de aqua viva verba faceret, nequaquam autem cum de Spiritu Sancto loqueretur. Nam prius illud sedulo explanat Joannes, alterum vero non modo non explanat, verum etiam ut clarum et apertum ad alterius explicationem profert.

Christi de Sancto Spiritu effata confirmant Evangelistae pluribus locis: ubi corpus Jesu a Spiritu sancto formatum dicunt Matth. 1, 20 Luc. 1, 35. Spiritum sanctum visum esse et auditum et in corporali specie apparuisse. *Καὶ εἶδε τὸ πνεῦμα τοῦ θεοῦ, καταβαῖνον ὡςεὶ περιστερὰν, καὶ ἐρχόμενον ἐπ' αὐτόν.* Matth. 3, 16. *Καὶ ἐγένετο ... Ἰησοῦ βαπτισθέντος καὶ προςευχομένου, ἀνεωχθῆναι τὸν οὐρανὸν καὶ κατα-*

βῆναι τὸ πνεῦμα σωματικῷ εἴδει ὡς περιστερὰν ἐπ' αὐτόν. Luc. 3, 21. 22. — Dicebat etiam Joannes Baptista vidisse se cum Spiritus Sanctus in Jesum descenderet, et hanc sibi notam ad Christum dignoscendum ab ipso Spiritu traditam fuisse. Joan. 1, 32. Haec omnia vero nonnisi de persona vera, reali ac divina dici possunt.

Docet Ecclesia catholica Romana adversus opinionem Graecorum, procedere Spiritum sanctum non solum a Patre, sed a Filio quoque: quae doctrina verissima ex scripturis potest demonstrari. Ait enim Dominus Joann. 16, 15: „Omnia quaecunque habet Pater mea sunt.“ Et Joan. 17, 10: „Omnia ... tua mea sunt.“ Quapropter theologi catholici recte ita concludunt: Quidquid Pater habet, habet Filius quoque (excepta solum relatione paternitatis); Pater autem habet esse principium Spiritus sancti: ergo et Filius id ipsum habet. — Eodem pertinent ejusdem cap 16, 14 verba: „Ille (sc. Spiritus sanctus) me clarificabit: quia de meo (*ἐκ τοῦ ἐμοῦ*) accipiet et annunciabit

vobis." Dicit porro Dominus, se esse missurum Spiritum sanctum c. 15, 26. Apud Joann. 20, 22 insufflavit (ἐνεφύσησε) Dominus, et dixit discipulis: „Accipite Spiritum sanctum;" qua ceremonia, ut exponunt Patres catholici, Christus significavit, a se quoque procedere Sanctum Spiritum. Appellatur denique Rom. 8, 9 Spiritus Sanctus Spiritus Christi et Gal. 4, 6. Spiritus Filii. Sed sufficiat, haec tantum attigisse, quae copiosius tractare a proposito meo alienum videtur.

4. De divinarum Personarum Consubstantialitate.

Explanavimus hucusque, tam ab ipso Salvatore nostro Jesu Christo quam ab Ejus Apostolis ita agnosci et doceri augustissimum ss. Trinitatis mysterium, ut non minus quam Patri Filio quoque et Spiritui Sancto omnia ea tribuantur, quae Deo vero propria sunt. Jam inde sequitur, quum Deus unus sit et essentia divina neque dividi neque separari possit, singulis his

personis divinis eandem esse naturam et essentiam divinam vel consubstantialitatem. Quod ita esse vel magis confirmatur ex his quae sequntur Novi testamenti locis ad demonstrandum ss. Trinitatis mysterium aptissimis ac praeclarissimis.

1) Matth. c. 3, Marc. 1 et Luc. 3. referunt, Jesum quum triginta annorum esset ad Joannem venisse Baptistam, ut baptizaretur ab eo. Fuit autem ille Christi baptismus nihil aliud quam Salvatoris nostri ad suscipiendum munus Messianum solemnis inauguratio. Quapropter consentaneum erat, ut a Patre suo divino in hoc solemni actu tanquam promissus populi Judaici totiusque generis humani Messias et Salvator aperte declararetur et confirmaretur. Id quod factum est coelesti illa ac mirabili voce: „Hic est Filius meus dilectus, in quo bene mihi complacui“. Et Spiritus Sanctus super Christum descendit, referente S. Luca, corporali specie sicut columba, mansitque in ipso.

Summo igitur jure ac merito doctores christiani in illo eventu ss. Trinitatis revelationem factam esse contendunt. Quodsi vero Sociniani, s. trinitatem infitiati, ea verba intellexerunt de Filio Dei adoptivo,

non naturali ac proprio, illud monendum est, ipsa textus graeci verba adversari interpretationi tam impiae ac perversae: legitur enim *οὗτός ἐστιν ὁ υἱὸς μου ὁ ἀγαπητὸς*, quae verba de Christo non aliter quam sensu proprio ac literali percipi possunt, siquidem repetitio sive *ἔμφασις* articuli omnes alios homines ab ea dignitate excludit neque usquam de alio quodam ita dictum esse invenimus. Non minus falso ajunt ss. Trinitatis adversarii per Spiritum Sanctum intelligendam esse g r a t i a e plenitudinem, qua donatus sit Christus. Enimvero quis dixerit, gratiam descendere et super aliquem manere, quemadmodum de Spiritu Sancto legitur in Evangelio? Num dicent, inquit Bertius, descendisse columbam naturalem eamque collatae gratiae fuisse signum? At non c o l u m b a m descendisse, sed Spiritum in specie columbae Evangelistae testantur; et ipse Joannes qui Christum baptizavit „testimonium perhibuit dicens: Quia vidi Spiritum descendentem quasi columbam de coelo et mansit super eum" (Joa. 1, 32). Si ergo non dicitur descendisse columba, quis nisi Spiritus Sanctus descendit? Fortasse dicent quidam, virtutem Altissimi descendisse in specie columbae, id est

non vehementi ac repentino sonitu, sed suavi ac leni? At Spiritum corporali (σωματικῷ εἴδει) i. e. visibili specie, quae columbae erat, descendisse S. Lucas asserit apertissime. Atque sive leni blandoque illapsu sivi vehementi descenderit, illud quidem certum est, a sacris scriptoribus non gratiam aut virtutem quandam divinam Christo concessam, sed ipsam Spiritus Sancti personam significari divinam.

2) Altera individuae Trinitatis confessio apud Matthaeum 28, 19 legitur, ubi Christus jamjam in coelum rediturus, Apostolos suos omnes gentes in sanctissimae Trinitatis nomine jubet baptizare. „Ite, inquit, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine (εἰς τὸ ὄνομα) Patris et Filii et Spiritus Sancti. Est enim baptizari in aliquem vel in ejus nomen duplici sensu intelligendum. Haec ratio declarat, ut Maldonati verbis utar, unde vim baptismus habeat, nimirum ex Patre qui Filium suum misit, ut pro hominibus moreretur; ex Filio, qui baptismum instituit et quodammodo sanguine suo irrigavit et fertilem, uberem, efficacem effecit; ex Spiritu Sancto, qui sicut aqua extrinsecus corpora ita ipse intrinsecus animos

lavat. Accedit ad hanc primam interpretationem altera illa, quae baptizari in alicujus nomen idem esse dicit ac sese ei auctorare atque devovere, vel in ejus jurare doctrinam, quo sensu de Hebraeis, qui Moysi se dederunt, scribit Apostolus ad Corinth. I, 10, 2: *πάντες εἰς τὸν Μωυσῆν ἐβαπτίσαντο*, et idem Apostolus negat quemquam baptizatum in suum (Pauli) nomen ead. epist. 1, 13. 15.; scilicet neminem sibi mancipatum esse tanquam novi dogmatis sive fidei auctori: itaque si baptizari *εἰς τὸ ὄνομά τινος* est se cum fide ac professione alteri devovere, ex baptismatis forma recte colligitur, baptizatos fidei P. et F. et Sp. S. pari devotione nulloque interposito discrimine mancipari Deo trino et uno.

Recte igitur ex hoc loco veteres omnes et recentiores auctores catholici Trinitatis mysterium probarunt. Apparet enim exinde tres in Deo esse personas, unam naturam, ubi quum Pater Filius et Spiritus Sanctus, tanquam distinctae personae nominentur, unum tamen illis divinitatis nomen (*εἰς τὸ ὄνομα*, non *εἰς τὰ ὀνόματα*), una auctoritas ac dignitas tribuitur. Praeterea si, quod Antitrinitarii voluerunt, Spiritus Sanctus hoc quoque loco nihil aliud esset,

nisi virtus quaedam vel potestas divina, sensus existeret prorsus ineptus et absurdus, quoniam idem esset ac si quis diceret: Ego te baptizo in nomine vel potestate potestatis sive in virtute virtutis! Porro si Christus Dei Filius non esset verus ac proprius sed adoptivus neque eadem ei conveniret quae Deo Patri dignitas, impie ac nefarie (sit venia verbo!) homines in nomine suo jussisset baptizari.

3) Celeberrimum vero ss. Trinitatis in N. T. testimonium idemque apertissimum est locus ille apud Joann. Epist. I, c. 5. v. 7 et 8: *ὅτι τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες ἐν τῷ οὐρανῷ, ὁ πατὴρ, ὁ λόγος, καὶ τὸ πνεῦμα ἅγιον, καὶ οὗτοι οἱ τρεῖς ἕν εἰσιν,* v. 8. *καὶ τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες ἐν τῇ γῇ, τὸ πνεῦμα, τὸ ὕδωρ καὶ τὸ αἷμα, καὶ οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἕν εἰσιν.* Is vero quum acerrime impugnetur arte critica accuratius jam quo jure id fiat et quantum inde colligi debeat, disputandum videtur.

Quum vel antiquioris aetatis critici nonnulli, velut Erasmus, Richardus Simonius aliique homines docti de loci illius integritate dubitassent, eumque tanquam spurium rejecissent, tum omnes fere recentioris aetatis Protestantium interpretes praeeunte

Griesbachio versum hunc 7. omnino ex ipsorum sacrae scripturae editionibus eliminarunt, propterea quod versus iste non solum in plurimis iisdemque antiquissimis Graecis codicibus verum etiam in multis versionibus latinis desideratur. Ita Constantinus Tischendorf in editione sua N. T. septima (Lips. 1859) enarrat, praeter tres in omnibus codicibus graecis ea verba omnino abesse; neque in omnibus Vulg. editt. idem ordo est utriusque versus. Octavus enim praeponitur septimo apud nonnullos scriptores latinos, velut apud Cassiodorum, in libro, qui Complexiones inscribitur; item in duobus codicibus Sangermanensibus et pluribus aliis. In nonnullis denique codicibus sic legitur: Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in terra, Spiritus aqua et sanguis; et tres unum sunt (vel in unum sunt) sicut tres sunt, qui testimonium dant in coelo, Pater et Verbum et Spiritus sanctus: et tres unum sunt.

Accedit quod Patres Graeci velut Irenaeus, Clemens, Origenes, Athanasius, Didymus, Basilius, Epiphanius Cyr., in conquirendis testimoniis trinitariis illo versu 7. non usi sunt. Ex Patribus Latinis, inquit Tischendorfius l. c., primus verbis

illis usus est Vigilius Tapsensis, qui exeunte saeculo quinto vixit. Tum secutos esse Fulgentium, Cassiodorum, Ansbertum aliosque multos (in his etiam auctor est prologi galeati in epp. cath. Pseudo-Hieronymi). Eorum vero, qui jam ante Vigilium ad eadem verba saepe sed male crederentur recurrisse velut Tertullianus, Cyprianus, Eucherius, gravissimum esse Cyprianum de Ecclesiae unitate: „Dicit Dominus: Ego et Pater unum sumus; et iterum de Patre et Filio et Spiritu sancto scriptum est: Et tres unum sunt“. — At rectissime de isto Cypriani loco, ait Tischendorfius, existimasse Facundum, qui medio fere saeculo sexto pro defensione trium capp. 1, 3 scripsit: De Patre, Filio et Spiritu sancto dicit: Tres sunt, qui testimonium dant, spiritus aqua et sanguis et hi tres unum sunt: in spiritu significans patrem — quod Joannis Apostoli testimonium beatus Cyprianus de Patre, Filio et Spiritu sancto intelligit. Huc conferri juvat Aug. c. Maxim. 22. Nimirum patet, inquit Tischendorfius, sic jam veteres interpretatos esse Joannis verba, minime vero interpolatione aucta legisse.

Praeter eas causas externas hunc ver-

sum 7. etiam difficultate interna laborare docent interpretes, quum interpositis illis verbis orationis series interrumpatur ac turbetur. Concessa etiam hujus loci Joannei integritate nihil tamen inde erui posse ad distinctionem personarum divinarum in unitate essentiae: etenim, ait Tischendorfius, Pater, Verbum et Spiritus Sanctus unum esse hoc loco dici non essentia, sed unitate seu consensu testimonii; id quidem postulari contextu et duorum versiculorum 7. et 8. connexione. Jam vero etiam de spiritu aqua et sanguine dici: „et hi tres unum sunt“, quin tamen aliquis adeo desipiat, ut contendat, haec unum esse essentia sed unum dici unitate testimonii; eodem igitur sensu de testibus coelestibus pronunciari unum esse scilicet consensu testimonii. —

Haec fere sunt, quae a criticis contra versus 7. integritatem proferuntur. Jam vero, ut par est, alteram partem audiamus eorum, qui hunc locum ut genuinum ac retinendum defendunt.

Praeter antiquiores theologos catholicos velut Turnelium Calmetum, Maranum aliosque multos, ex recentioribus potissimum Perrone, Collegii Romani theologus, acerrimus

hujus loci vindex exstitit. Is, praeeuntibus nonnullis grammaticis, omnes qui exstant s. scripturae codices ad significandam eorum originem in familias partitus, africanam quoque familiam statuit, ex qua Tertullianus, Cyprianus, Marcus Celedensis, S. Fulgentius, Victor Vitensis, quadringenti illi episcopi africani omnes, qui Carthagine Hunnerico fidei confessionem una cum Eugenio episcopo obtulerunt, Maximus Confessor, Eucherius, Phoebadius aliique non pauci hauserunt. Horum testimoniis addendum esse codicem manuscriptum operis inscripti Speculum, quod S. Augustini creditur, nuper Romae repertum in bibliotheca Sessoriana, qui quidem codex antiquissimus est atque ut creditur saeculi VII. — In Africa vero latinam versionem factam esse videri antequam vel ipsa versio quae dicitur itala prodiret. Constare enim, tribus prioribus ecclesiae saeculis familiarem fuisse in ecclesia Romana usum linguae Graecae nec sollicitos propterea Romanos fuisse de versione latina adornanda; priores Patres graece scripsisse etiam in occidentali Ecclesia. Contra vero in ecclesia Africana nemo graece scripsit, sed omnes latine, hinc Tertullianus, antiquissimus Patrum La-

tinorum est, quorum quidem opera ad nos pervenerint, eumque proxime secuti sunt Cyprianus, Minutius Felix, Commodianus, Arnobius. Tertullianus vero, ipso fatente Scholzio, plerumque cum textu versionis alicujus antiquae consentit. Ergo, concludit Perronius, ante Tertullianum jam existebat ea antiqua versio. Neque argumenta interna eaque gravissima desunt, ex quibus apparet, versionem latinam originariam in Africa esse confectam, quum archaismis et — sit venia verbo! — Africanismis scateat, quae non occurrunt nisi apud scriptores Afros, ut recte jam Eichhornius suspicatus est. Ea vero versio latina, quam longe ante ipsum Tertullianum exstitisse Perronius demonstravit, sine dubio auctore Perronio ad saeculum secundum pertinet, quum sacri libri graeci, qui quidem adhuc exstant, nonnisi ad saeculum quartum aut finem saeculi tertii attingant. Quodsi versio quae nuncupatur itala, ad substantiam quod spectat, eadem est cum vulgata antiqua, quae originarie africana fuit, etsi in nonnullis variata, apparet inde, cur in plerisque codicibus latinis reperiatur versiculus 7. in aliis vero desideretur. Codices scilicet exacti ad typum communem

asiaticum, alexandrinum et constantinopolitanum pericopen hanc non continent, qui vero ad familiam Africanam exarati sunt, eam retinuerunt. Inde illud quoque apparet, quare Sanctus Augustinus nonnullique alii Patres Latini de v. 7. sileant, etsi eum non ignoraverint.

Quod vero ad mysticam versus 8. interpretationem attinet, ex qua interpolationem v. 7. exortam esse putant, S. Augustinus primus eam invenisse videtur. Animadvertit enim Millius (proleg. ad N. T. gr.) mysticam expositionem de tribus terrenis testibus non obtinuisse in ecclesia Tertulliani aut Cypriani aetate; imo ne auditum quidem esse quidquam de ea ante annum 428. quo libros suos contra Maximinum edidit Augustinus. Levis plane momenti esse quod ex Facundo notatur, Cyprianum scilicet effatum illud, cujus supra mentionem fecimus, ex versu 8. allegasse. Qui enim factum, ut beati Martyris mentem melius noverit Facundus, qui trecentis fere post Cyprianum annis floruit, quam Fulgentius, qui Cypriano multo est propior? Unde illud constat, memoria Cypriani quemquam aquam, spiritum et sanguinem mystico sensu accepisse pro per-

sonis Trinitatis? Certe sicut apud Graecos, qui v. 7 non legerant, nunquam occurrit explicatio illa mystica: ita ne Latinorum quidem quisquam, ut opinor, per annos a Cypriano plus 100. spiritualis hujus sensus mentionem facit.

Quod utcunque est, certe illud falsum, quod Tischendorfius, praeeunte Richardo Simonio contendit, Vigilium Tapsensem omnium primum videri, qui exeunte saeculo V. clare ad testes coelestes provocarit. Etenim praeter Tertullianum et Cyprianum exstat Eucherius, qui floruit a. 434. id est 50 fere annis ante Vigilium Tapsensem. Is in libro formularum spiritualis intelligentiae c. 11. n. 3. ita scribit: „Numerus ternarius, inquit, refertur ad Trinitatem in Joannis epistola: tres sunt, qui testimonium dant in coelo: Pater, Verbum et Spiritus Sanctus, et tres sunt, qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua et sanguis“.

Difficile porro est venerabilius monumentum afferre, quam professionem fidei, oblatam Hunnerico Regi a quadringentis episcopis, quorum agmen agebat Eugenius Carthaginiensis. In ea professione fidei, quae ad nos Victoris Vitensis beneficio

pervenit (Lib. 3 de persecut. Vand.) episcopi catholici testimonium S. Joannis, ut certissimam et a nullo rejiciendam auctoritatem Arianis opponunt. „Et ut adhuc, inquiunt, luce clarius unius divinitatis esse cum Patre et Filio et Spiritum sanctum doceamus, Joannis Evangelistae testimonio comprobatur. Ait namque: *Tres sunt, qui testimonium perhibent in coelo: Pater, Verbum et Spiritus sanctus, et hi tres unum sunt*".

S. *Fulgentius* (nat. c. a. 568) eodem testimonio usus est adversum Arianos. Ita enim loquitur in libro de trinit. c. 4. Ego, inquit Dominus, et Pater unum sumus: *unum* ad naturam referre nos docet, *sumus* ad personas. Similiter et illud: „*Tres sunt, qui testimonium dicunt in coelo, Pater et Verbum et Spiritus: et hi tres unum sunt.*"

Falsum denique est, quod ait Tischendorfius Rosenmuellerum secutus, primum graece prolatum hunc versum in graeca translatione actorum Concilii Lateranensis a 1215 habiti. Etenim Concilium Lateranense sub Innocentio III congregatum, cui Constantinopolitanus et Hierosolymitanus Patriarchae cum Alexandrini et Antiocheni

legatis ac pluribus metropolitis et aliis episcopis interfuerunt, loquitur de pericope illa Joannea tanquam de re omnibus eo tempore explorata. Condemnat Abbatem Joachimum, quod hoc testimonium ad suos errores detorserit. Nam, ut essentiae unitatem a tribus personis removeret, utebatur his verbis: „Ut sint unum in nobis, sicut nos unum sumus" Joann. 17, 22. Deinde ita loquebatur: *Οὐ γὰρ, ὡς εἶπεν, οἱ πιστοὶ τοῦ Χριστοῦ εἰσὶν ἕν, ἤγουν ἕν τι πρᾶγμα, ὅ κοιὸν ἐν ἅπασι. Ἀλλὰ νῦν εἰσὶν ἕν, ἤτοι μία Ἐκκλησία διὰ τὴν καθολικὴν τῆς πίςτεως ἕνωσιν, καὶ τέλος μία βασιλεία διὰ τὴν ἑνότητα τῆς ἀδιαλύτου ἑνώσεως· ὅν τρόπον ἐν τῇ κανονικῇ τοῦ Ἰωάννου ἐπιστολῇ ἀναγιγνώσκεται ὅτι τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες ἐν οὐρανῷ, ὁ Πατὴρ, Λόγος καὶ Πνεῦμα ἅγιον, καὶ οὗτοι οἱ τρεῖς ἕν εἰσιν. Εὐθύς τε προςτίθησι: καθὼς ἐν τισι κώδηξιν εὑρίσκεται.*

In eo ergo Joachimus Abbas reprehenditur, quod unitatem trium personarum, quae in 7. versu adstruitur ex ea, quae exstat in octavo spectaverit et unitatem divinarum personarum non essentialem sed moralem dicere sit ausus. Hinc ex ipsius Joachimi verbis apparet, notam fuisse lectionem v. 7. etiam Graecis, qui concilio intererant.

Graecorum igitur, ut recte Maranus de divinit. Jesu Christi monuit, cum Latinis consensus omnem interpolationis suspicionem removet. Nemo enim dixerit, Latinis simul et Graecis eundem versum, ad explendam sacri textus lacunam in mentem venisse, nulla existente auctoritate; necesse est, si de interpolatione cogitetur, ut aut ab Graecis ad Latinos, aut a Latinis ad Graecos pervenerit. Primum verisimile non est, ut Graeci insigne hoc additamentum Latinis probaverint. Nam multo saepius occurrit apud Latinos, quam apud Graecos; et multo ante a Latinis citatum quam a Graecis videmus. Alterum quoque haud facile probari posse videtur, quum Graecos constet Latinis codicibus uti solitos non esse.

Confugit ad fabulas Richardius Simonius, et Francos Constantinopolim ad emendandos Graecorum codices arcessit. Sed esto Latini aliquot codices ad usum suum emendaverint; quis credat Graecos tunc maxime dociles fuisse et acceptam a Latinis emendationem tunc maxime publicae liturgiae usu consecrasse, quum majore quam unquam antea contra Latinos odio affecti essent? — Accedit quod multo ante illud tempus et disputationis adversus Arium

9*

auctori, quisquis erat, cognitus versus ille fuit,*) et Graecos codices ab Auctore Prologi galeati Hieronymo suppositi ad versum septimum defendendum adhibitos esse constat. Haec fere sunt, quibus Perronius aliique interpretes hunc versum septimum ut genuinum defendebant.

Quorum in auctoritate eo magis acquiescere posse nobis videmur, quo minus augustissimum ss. Trinitatis mysterium ex unico hoc S. Scripturae loco pendeat. Sanctissimae Trinitatis fides per totam sacram scripturam, ex Jesu Christi Apostolorumque testimoniis adeo stabilita est et demonstrata, ut sine ulla dubitatione in extrema, quae jam sequitur, disputationis nostrae parte ad refutanda Antitrinitariorum argumenta praecipua, quibus augustissimum illud mysterium impugnabant, nos accingamus.

---

*) Is enim de baptismo locutus, *οὐκ ἐν τῇ τρισμακαρίᾳ ὀνομασίᾳ*, inquit, *δίδοται τοῖς πιστοῖς* (sc. baptismus); *πρὸς δὲ τούτοις πᾶσιν Ἰωάννης φάσκει, καὶ οἱ τρεῖς τὸ ἕν εἰσι* (cfr. inter opp. S. Athan. ed. Maur. vol. 4, pag. 229.

III.

DE IIS S. SCRIPTURAE LOCIS,

quibus ss. Trinitatis adversarii ad oppugnandum hoc augustissimum mysterium abuti solent.

Considerantibus nobis, quibus telis armisque ex ipsis libris sacris petitis Sanctissimae Trinitatis adversarii augustissimum hoc mysterium impie ac nefarie oppugnare conati sint, partim ejusmodi sacrae Scripturae loci nobis occurrunt, qui omnino personarum in Deo pluralitatem excludere, partim qui personarum divinarum consubstantialitati adversari videntur.

Atque in primis quidem tam veteres quam novi SS. Trinitatis obtrectatores illud apud S. Joannem 17. 3 testimonium ad

impietatis suae defensionem usurparunt: *Αὕτη δέ ἐστιν ἡ αἰώνιος ζωή, ἵνα γινώσκωσί σε τὸν μόνον ἀληθινὸν θεὸν, καὶ ὃν ἀπέστειλας Ἰησοῦν Χριστόν.* „Veri Dei nomine“, inquiunt, summum intelligi nemo dubitat. Quare cum Christus Patrem suum ita describit, ut eum solum verum Deum dicat, intelligitur Patrem Christi solum esse Deum summum“.*) Alii hoc modo interpretantur: Haec est vita aeterna, ut cognoscant, te quidem esse solum verum Deum: Jesum vero esse Messiam, quem misisti“. Ex recentioribus De Wettium non puduit in hujus loci comparationem Mohammedanorum illud: „Gott ist Gott und Mohammed sein Prophet“ afferre. (Vide ejus Comment. in evang. Joa. 1839 pag. 187) quamquam postea dicit, nihil contra Filii divinitatem in hoc loco inesse.

Quam falsa sit utraque haec interpretatio recte jam Maldonatus**), interpretum catholicorum princeps, demonstrat. Vera germanaque, inquit, hujus loci expositio est, quam omnes fere graeci auctores tradiderunt, et ante natam Arianorum haeresim

*) Haec sunt verba Crellii, oppugnatoris ss. Trinitatis acerrimi.

**) Comment. in evang. Joann.

Cyprianus,*) verba illa: „Solum verum Deum“ ad solum referri Patrem, non quod Filius excludatur, sed ut excludantur idola, quae veri non erant Dii; non ergo his verbis Filio et Spiritui Sancto, sed idolis Patrem opponi: in eo enim vitam aeternam positam esse, ut relicta vana illa Deorum multitudine, unum verum Deum Patrem ejusque Filium Jesum Christum, non utique falsum ut idola, verum etiam, ut Patrem, Deum cognoscamus. Quod qui negare audent, necesse est a Filio sapientiam et immortalitatem abjudicent quia divus Paulus dicit: *Μόνῳ σοφῷ Θεῷ, διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ, ᾧ ἡ δόξα κ. τ. λ.* (Rom. 16, 27.) et epist. 1. ad Tim. 6, 16 *Ὁ μόνος ἔχων ἀθανασίαν, φῶς οἰκῶν ἀπρόσιτον*, cum se Christus passim vitam et lucem appellet. Illustrat mirifice hujus versus Joannei sensum loco alio huic simillimo D. Paulus: *Ἐπεστρέψατε πρὸς τὸν θεὸν ἀπὸ τῶν εἰδώλων, δουλεύειν Θεῷ ζῶντι καὶ ἀληθινῷ.* —

Illud denique observandum, quo Arianorum argumentum penitus enervatur, nomen illud *μόνον* non esse subjectum sed attri-

---

*) in exhort. ad martyr.

butum. Non enim est sensus: „Ut cognoscant te, qui solus es verus Deus, sed ut cognoscant te, qui es ille Deus, qui solus verus est. Ita esse, ex altero constat epitheto. Si enim μόνον ad subjectum pertineret σέ, eodem ἀληθινὸν pertineret; at ex ipsa articuli positione apparet, ἀληθινὸν non ad subjectum σέ pertinere, sed ad attributum θεόν.

Si vero illud quaeratur, cur Dominus non ita dixerit, quemadmodum Augustinus eum dixisse putat: „Ut cognoscant te et quem misisti, Jesum Christum, solum et verum Deum", recte Theodorus Heracl. respondet: nomen Dei Patri tanquam aliarum personarum divinarum fonti fuisse tributum. Praeterea duae aliae causae afferri possunt: altera, illud epitheton solius ac veri Dei Patri per attributionem dari solere, quamvis Filius etiam et Spiritus Sanctus Deus, sicut nomen τοῦ κυρίου prae ceteris datur Filio, licet Pater Dominus utique sit, et nomen πνεύματος atque Παρακλήτου tribuitur Spiritui Sancto, licet et Pater et et Filius Spiritus sit. Altera causa, auctore Maldonato, ea est, quod voluerit Christus de Patre quidem suo, ut Filium decebat, honorifice, de se vero quam modestissime

ac verecundissime loqui; ideo non se, sed Patrem Deum appellavit. Eodem, ut Maldonatus opinatur, pertinet, quod neque se quidem ipsum nominare voluit; neque enim dixit: Ut cognoscant Te et me, sed: Ut cognoscant Te et quem misisti Jesum, per tertiam personam de se ipso loquens, quod majoris modestiae, quam se ipsum, cum de rebus agitur honorificis, qualis haec erat, nominare. Accedit, quod dum dicit: „Et quem misisti Jesum Christum", et se simul demonstrat et rationem declarat, quare in cognitione sui, etiam quatenus homo erat, vita aeterna consisteret, scilicet quia missus a Patre erat, quia Jesus i. e. Salvator, quia Christus, i. e. promissus Messias erat.*)

2) Aliud argumentum priori simillimum ab Antitrinitariis ex 1 Cor. 8, 5. 6 petitur: *Καὶ γὰρ εἴπερ εἰσὶ λεγόμενοι θεοὶ, εἴτε ἐν οὐρανῷ, εἴτε ἐπὶ γῆς (ὥσπερ εἰσὶ θεοὶ πολλοὶ καὶ κύριοι πολλοί) ἀλλ' ἡμῖν εἷς θεὸς, ὁ πατὴρ, ἐξ οὗ τὰ πάντα, καὶ ἡμεῖς εἰς αὐτόν, καί εἷς κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς, δι' οὗ τὰ πάντα, καὶ ἡμεῖς δι' αὐτοῦ.* „Quid clarius dici potuit, inquiunt Antitrinitarii, ad osten-

*) Vide Mald. ad h. l.

dendum Deum illum unicum neminem esse alium, praeter Patrem, siquidem Paulus simpliciter dixit, Deum esse Patrem, non vero Patrem et Filium et Spiritum sanctum. Atqui nulla ratione fieri potuisset, ut Paulus explicaturus, quis esset ille unus Deus, Patris tantum mentionem faceret, seclusis personis aliis, si Deus ille unus non tantum esset Pater, sed et Filius et Spiritus Sanctus“.

Quae Rationalistarum conclusio omnino falsa est. Loquitur Paulus v. 5. de falsa Paganorum opinione plures esse Deos sive Dominos (*λεγόμενοι θεοὶ ἤ κύριοι*), inter utrumque enim verbum nullum discrimen essentiale intercedit: illud ficticios Paganorum Deos in universum designat, hoc ad significationem idolorum apud Hebraeos usitatam בְּעָלִים (cfr. 1 Reg. 2, 11. 3, 7. 8, 33. 1 Sam. 7, 4) spectare videtur, sive fortuito eo vocabulo Apostolus utebatur, sive ea respiciebat, quae sequenti versu dicturus esset. Opponit ergo Apostolus vanae Paganorum de pluribus Diis opinioni veram Christianorum de uno Deo vero doctrinam: (*ἡμῖν* enim ad christianos homines pertinet): creata esse omnia et coelestia et terrestria ex uno Deo Patre per Domi-

num nostrum Jesum Christum Filium Dei unicum. (Praepositio *ἐξ* originem indicat idealem, quoniam Deus Pater mundi creandi et redintegrandi ideam concepit eamque per Filium perfecit sive executus est.) Quae Apostoli verba Trinitatem non modo non evertunt, sed etiam confirmant. Quum enim ad verba *εἷς θεὸς* additum sit *ὁ πατὴρ*, (quod non ita est interpretandum, ut Deus hominum pater dicatur, quoniam *τὰ πάντα* etiam genus humanum complectuntur, sed sensu trinitario *ὁ πατὴρ* sc. *Ἰησοῦ Χριστοῦ*,) jam ex verbo *πατὴρ* subintelligitur, eum quem mox Dominum appellat, verum Dei esse Filium. Quem aequalem esse Deo Patri et consubstantialem, vel inde apparet, quod per ipsum omnia creata sunt et regenerata. Verba illa: *καὶ ἡμεῖς εἰς αὐτόν* et quae subsequuntur *καὶ ἡμεῖς δι᾽ αὐτόν* significant, Christianos ex immensa illa rerum creatarum multitudine ad arctiorem cum Deo Patre et cum Domino Jesu Christo conjunctionem vocari. Ita neque in prima omnium creatione neque in altera hominum regeneratione aut Patrem a Filio aut Filium a Patre sejungit Paulus. Etenim quum dicit: „unus Deus, ex quo omnia“ intelligit: ex quo omnia per Filium;

quumque dicit: „unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia" intelligit: per quem omnia ex Patre. Non magis igitur Filius excluditur a Divinitate eo, quod unus Deus Pater, quam ipse Pater a Dominatu eo, quod unus est Dominus noster Jesus Christus. Fieri etiam potuit, quemadmodum Adalb. Maier recte animadvertit, (cfr. ejus Comment in epist. 1. ad Cor. ad h. l.) ut significatio, qua Apostolus v. 5. utebatur θεοὶ καὶ κύριοι, qua quidem idem fere dicitur, causa esset, cur S. Apostolus etiam in v. 6 eam duplicem unius Dei appellationem adhiberet, quo vel magis interpretatio trinitaria comprobatur.

Illud denique in explicando hoc loco animadvertendum, etiam Spiritum Sanctum, licet non apertis verbis, esse indicatum. Praepositio εἰς enim finem vel τὸ τέλος hominum regeneratorum significat, intimam cum Deo societatem et conjunctionem. Ea vero Christianorum cum Deo societas, quae in Christianorum vita justa et sancta manifestatur, et, ipsa jam regeneratione quodammodo inchoata et effecta, in dies magis excolenda et perficienda est, ut tandem realis et personalis fiat in aeterna cum Christo communione.

Quae communicationis divinae excitatio, provectio atque perfectio per Spiritum Sanctum efficitur; quapropter hoc nostro loco praeter Patrem et Filium etiam Spiritus sanctus subintelligendus est. Haec veritas iis, qui jam antiquo tempore sacram scripturam interpretati sunt, velut Greg. Naz., Heracl., Cyrill. Alex. adeo certa fuit, ut Spiritus sancti aperte mentionem facerent, additis his verbis: *καὶ ἓν πνεῦμα ἅγιον, ἐν ᾧ τὰ πάντα καὶ ἡμεῖς ἐν αὐτῷ.*

3) Ex hoc erroris sui propugnaculo repulsi Antitrinitarii jam ad aliud refugiunt. Afferunt ejusdem Apostoli verba, quae ad Corinthios facit I Epist. 12, 4. 5. in describenda gratiarum supranaturalium distributione: *Διαιρέσεις δὲ χαρισμάτων εἰσὶ τὸ δὲ αὐτὸ πνεῦμα· καὶ διαιρέσεις διακονίων εἰσὶ, καὶ ὁ αὐτὸς κύριος· καὶ διαιρέσεις ἐνεργημάτων εἰσὶν, καὶ ὁ αὐτὸς θεὸς, ὁ ἐνεργῶν τὰ πάντα ἐν πᾶσιν.*

Duae sunt apud veteres interpretes de exponendo hoc loco sententiae. Quidam enim unum tribus illis appellationibus intelligi spiritum volunt, Spiritum Domini ac Dei, uti Photius apud Oecumenium. Neque prorsus abhorret ab Apostoli mente et orationis contextu ista sententia.

Rectius tamen alii tres divinas personas illo in loco designari putant, ut Chrysostomus, Theodoretus et idem ipse Photius, Theophylactus et praeter plurimos interpretes recentiores Adalbertus quoque Maierus. Quos ut sequamur, nihil obstat Antitrinitariorum inversio. Redit enim hoc quoque loco illa ipsa defensio nominum Domini ac Dei, quam supra exposuimus. Dei quippe nomen alias communiter et *οὐσιωδῶς* sumitur, alias secundum proprietatem ultimi principii atque fontis, e quo ceterae personae proficiscuntur.

4) At, inquiunt Unitarii et antiquioris et recentioris temporis, idem Paulus Apostolus ad Timoth. ep. I 2, 5 haec scribit: *Εἷς γὰρ θεός, εἷς καὶ μεσίτης θεοῦ καὶ ἀνθρώπων ἄνθρωπος Χριστὸς Ἰησοῦς.*

Sed ne haec quidem adversus ss. Trinitatem quidquam probant. Dixerat Apostolus versu antecedenti, velle Deum, ut omnes homines salvi fierent et ad agnitionem veritatis venirent. Quapropter recte Estius opinatur, probari hoc versu 5. sententiam praecedentem. Unus est Deus, inquit, omnium hominum creator; unus etiam homo Christus, Dei atque omnium hominum mediator et juxta id, quod sequitur, omnium redemtor;

nam universale signum omnium ex parte subsequenti, in qua dicitur Christus ὑπὲρ πάντων semetipsum dedisse ἀντίλυτρον, etiam hic supplendum est in utroque membro. Ergo sensus est, sive beneficium creationis spectetur, quod omnibus commune est, sive beneficium reconciliationis ac redemtionis, quod omnibus propositum est: vult Deus omnes homines salvos fieri.

Praeter eos locos, in quibus Antitrinitarii et antiquioris et recentioris temporis solum Patrem excluso Filio et Spiritu Sancto Deum appellari falso contendebant, alias quoque objectiones, inversiones ac difficultates ex iis sacrae Scripturae locis petebant, qui vel ea denegare de Christo videntur, quae vero et summo Deo negari non possunt, vel de Christo ea affirmant, quae de Deo uno et summo affirmari nequeunt.

Quod ad primum argumentorum genus attinet

a) illud inprimis attulerunt, dixisse Christum ipsum ignorare sese diem ultimi ju-

dicii. Matth. 24, 36. *Περὶ δὲ τῆς ἡμέρας ἐκείνης καὶ ὥρας οὐδεὶς οἶδεν, οὐδὲ οἱ ἄγγελοι τῶν οὐρανῶν, εἰ μὴ ὁ πατὴρ μόνος.* Et vel apertius apud Marc. 13, 32: *οὐδὲ οἱ ἄγγελοι οὐδὲ ὁ υἱὸς, εἰ μὴ ὁ πατήρ.*

b) Quid? quod solus Pater b o n u s dicitur excluso Filio: *Τί με ἐρωτᾷς περὶ τοῦ ἀγαθοῦ; εἷς ἐστιν ὁ ἀγαθὸς (ὁ θεός)* cf. Matth. 19, 17 et Marc. 10, 18: *τί με λέγεις ἀγαθόν; οὐδεὶς ἀγαθὸς, εἰ μὴ εἷς ὁ θεός.*

c) Christus nihil facere potest ex semetipso Joann. 5, 19. 20 *οὐ δύναται ὁ υἱὸς ποιεῖν ἀφ᾽ ἑαυτοῦ οὐδέν,* neque plenam habet in res omnes potestatem Matth. 20, 23. *Τὸ καθίσαι ἐκ δεξιῶν μου καὶ ἐξ εὐωνύμων οὐκ ἔστιν ἐμὸν δοῦναι.*

d) Christus a se ipso non venit: suam neque facit voluntatem neque gloriam quaerit Joan. 7, 28 5. 30. *ἀπ᾽ ἐμαυτοῦ οὐκ ἐλήλυθα· οὐ ζητῶ τὸ θέλημα τὸ ἐμὸν, ἀλλὰ τὸ θέλημα τοῦ πέμψαντός με.*

e) Neque Christus, ut in ipsum tanquam Deum crederent homines voluit, sed in eum, qui misisset ipsum. Cfr. Joann. 12, 44. *Ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ οὐ πιστεύει εἰς ἐμὲ, ἀλλὰ εἰς τὸν πέμψαντά με.*

Quae omnes divinitatis Jesu Christi op-

pugnationes impiae non difficiles sunt explicatu.

De primo quidem illo loco sub lit. a. significato gravis olim Catholicis cum Arianis quaestio fuit, quum hinc Ariani Christi divinitatem refutare conarentur, quod Christus diem judicii diceretur ignorare. Nonnulli veteres auctores, velut Hieronymus et Ambrosius, testimonii difficultate commoti, eo confugerunt, ut locum vitiatum esse dicerent. Alii existimabant, Christum ignorasse quidem diem judicii, quamdiu in hac vita fuit; scivisse vero ex mortuis resuscitatum et hominum judicem constitutum. Ita Hugo quoque Grotius Origenem secutus docuit. Constat porro Themistianos vel Agnoëtas pro haereticis habitos esse indeque cognomentum suum duxisse, quod simpliciter et sine ulla distinctione divinae humanaeque naturae ignorantiam Christo tribuerent, quoniam credebant divinitatem in humanitatem fuisse conversam. — Major vero pars antiquorum interpretum cum Origene, Chrysostomo, Augustino existimaverunt, Christum ignorasse diem judicii, non quod revera ignoraverit, sed quod fecerit, ut nos ignoraremus. Alii denique, ut Euthymius, dixerunt, sensum esse: nec Filius hominis

scit nisi Pater sciat; sed quia pater scit, Filius etiam hominis scit. Sed omnes istae interpretationes sensui non satis accommodatae videntur. Quapropter Maldonatus, cujus in explanando hoc loco sententiam sequor, eo modo Christum loqui opinatur, quo antea ap. Matth. 20, 23 dixit: „Sedere autem ad dexteram et sinistram non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo". Itaque indicat, Filium ignorare diem judicii, non quod ex natura sua divina ignoret, sed quod non ipsius sit officium Messianum scire; quemadmodum non dixit, quibus paratum est a me, sed a Patre meo. Sic etiam Patris est constituere, quando solvendus sit mundus; in eandem fere sententiam Christus ad Apostolos suos verba fecit: „Non est vestrum, inquit, nosse tempora vel momenta, quae Pater posuit in sua potestate". Itaque omnes illi interpretes, qui aut semper aut ad tempus Christo ignorantiam tribuerunt, non audiendi sunt, quia quum innumeris aliis sacrae scripturae locis tum illo maxime D. Pauli testimonio refelluntur: „In Christo Jesu, inquit, sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi" (ad Col. 2, 3).*)

---

*) Conf. ad h. l. Maldonati Comm. in Ev.

Ad 2) Quemadmodum primo illo loco, de quo modo diximus, ita hoc altero quoque loco Ariani veteres et novi abusi sunt ad negandam Christi veram divinitatem. Sed fustra. Etenim etsi Christus Deus non fuisset, bonus tamen fuisset, siquidem et homines et angeli et multa alia praeter Deum suo quodam modo bona esse appellantur. Quemadmodum igitur Christus se a bonitate non excludit dicendo: „Unus est bonus Deus“, ita adeo non his verbis excludit a divinitate, ut iis ipsis verbis Deum se esse indicet. Apparet enim, adolescentulum illum quam magnificentissima appellatione Christum ornaturum fuisse, quum ad ineundam illius gratiam eum bonum magistrum appellaret. Licet bonam haberet de Christo opinionem, tamen non satis magna atque perfecta erat. Nam si Deum esse credidisset, aut Deum aut certe Dominum appellasset. Voluit ergo Christus adolescentuli illius fidem adjuvare atque perficere eoque interrogando perducere, ut se non tantum magistrum bonum, sed Deum etiam bonum esse crederet, quapropter ex ejus ore verbum quasi arripuit, ut doceret tantum illi opus esse, ut ea, quae dixerat, bene intelligeret. Vocaverat Christum ma-

gistrum bonum: docet illum Christus, neminem bonum esse praeter Deum, ut probet, se Deum esse si bonus sit, quemadmodum ille recte, nesciens quid diceret, confessus erat.

Ad 3) De Christo dicitur Joann. 5, 19: „Quaecunque fecerit Pater, haec et Filius similiter facit". Quo ergo sensu dicitur: „nihil a se ipso facere posse"? Dicitur, inquam, sensu duplici: 1.) quia quidquid habet Filius a Patre habet per aeternam generationem. 2.) quia non potest quidquam facere, quod sit contrarium divinae Patris sui voluntati, tum quia una est divina Patris et Filii voluntas, tum quia humana voluntas Christi divinae semper conformis est ac perfecte subdita. Et esse hunc verum orationis sensum, ipsa demonstrat Jesu Christi loco citato ratiocinatio: Accusabant Judaei Dominum tanquam reum violati sabbati, eo quod infirmum quendam hominem eodem die Deo sacro sanasset; quibus Christus respondit: Pater meus usque operatur, et ego operor: . . . non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem". Quasi diceret: Pater infirmum hominem sanat die Sabbati, ego autem id omnino facio, quod Pater;

non igitur contra mandatum Patris facio: quid ergo me accusatis? — Quum ergo dicitur Filius nihil posse facere a se nisi quod viderit Patrem facientem, tantum abest ut impotentia quaedam vel virtutis aliquis defectus in ipso arguatur, ut etiam divina Jesu Christi potestas et essentia probetur. De altera objectionis parte jam supra diximus.

Ad 4) Quod Christus affirmavit „sese non venisse a seipso", hoc ita est intelligendum, quasi diceret: non sua auctoritate et nomine contra Patris voluntatem, ut pseudoprophetas, perfungi ipsum munere suo Messiano, sed processisse a Patre, a quo missus esset. Quae missio originem quidem significat sive ordinem Filii a Patre, non naturam deteriorem aut inferiorem. Eodem plane sensu dicitur non facere voluntatem suam neque suam, ut falsi doctores et Pharisaei, gloriam quaerere, quia nihil unquam facit, Patre invito: „ὅτι ἐγὼ τὰ ἀρεστὰ αὐτῷ ποιῶ πάντοτε", ait Christus apud Joan. 8, 29.

Ad 5) Quinta adversariorum objectio ipsius Christi verbis, quae apud Joannem 14, 1 leguntur, refellitur: *Πιστεύετε εἰς τὸν Θεὸν, καὶ εἰς ἐμὲ πιστεύετε.*" Quum

igitur dicit: „Qui credit in me, non credit in me, sed in Eum qui misit me“, non significat, qui credat in se non credere in hominem tantum, qualis ipse illis esse videretur, sed credere in Deum, quemadmodum qui in Patrem crederent, ut Ambrosius, Augustinus et Beda exponunt; sed loquitur hoc loco ut homo, ut recte ait Cyrillus. Aut qui credat in se, non solum in se, sed etiam in Patrem cedere, quoniam ipse et Pater unum sint, quemadmodum alibi dixit (7, 16) „Mea doctrina non mea est, sed Ejus, qui misit me“: non enim negat esse suam, sed esse suam unius. Recte igitur veteres jam auctores, qui adversus Arianos disputarunt, ex hoc loco Jesu Christi divinitatem defendebant. Etenim si, qui credit in Filium, credit in Patrem, Filium et Patrem unum esse Deum necesse est.

Quo minus vero Unitarii ex iis, quae modo exposuimus effatis demonstrare poterant, negata esse in sacris litteris de Christo, quae Deo proprie conveniunt, eo majore studio omnia investigabant, quibus probari posse confiderent, affirmata esse de Christo, quae de Deo uno ac summo affirmari nequeunt. Ejusmodi argumenta

gravissima sunt haec, quae sequuntur, quatuor:

1. „Ipse Christus", inquiunt, „Patrem se esse majorem, apud Joannem 14, 28 affirmat: ὅτι ὁ πατήρ μου μείζων μου ἐστίν, quod utique affirmare non potuisset, si esset Patri consubstantialis". Sed hanc difficultatem, quae prorsus nullius est momenti, jam veteres interpretes cum Arianis disputantes recte solverunt. Omnes quidem in eo conveniunt, Christum ut hominem loqui, itaque mirandum non esse, ut ait Basilius, si se Patre minorem diceret, qui cum in forma Dei esset non Patre solum et Angelis, ut scribit S. Paulus, sed ipsis hominibus minorem se fecit. Id ita esse intelligendum, ex hoc ipso loco colligebant: loquitur enim Christus, se ad Patrem vadere; non vadit utique ut Deus sed ut homo: nam Deus ubique est. Jubet Dominus discipulos suos de ipsius reditu in coelum contristatos gaudere, si ipsum diligerent: magno enim sibi esse bono, quod ad Patrem iret, quia Pater se major esset, itaque se ad majorem honorem ac dignitatem naturae suae humanae a consortio hominum ad consortium Dei esse profecturum. Quod nonnulli re-

centiores Protestantium interpretes, velut De Wettius, Kuenoelius, Lückius Euthymium et Theophylactum secuti causam laetitiae inde duxerunt, quod Christo in coelum reverso majus Patris praesidium Apostolis adfuturum esset, propter verba „si me diligeretis", quae utique ad Christi personam pertinent, admitti non potest, ut recte animadvertit Adalbertus Maierus in suo evang. Joann. commentario. Neque probari nobis potest nonnullorum Patrum (Athanasii, Greg. Naz., Euthymii, Chrysost., Theoph. aliorumque) sententia, quam ex recentioribus Olshausen adoptavit, Patrem Filio majorem ratione originis dici posse, quod Pater est principium sine principio, fons et origo totius divinitatis, seu Deus a se. Etenim in Deo, in quo summa est unitas ac simplicitas, gradus ullus majoris aut minoris perfectionis admittendus non est, neque vero quidquam in Patre perfectius est non habere principium, quam in Filio habere originem a Patre et ab ipso generari.

2) Christus ipse, inquiunt Antitrinitarii, agnoscit unum Deum se superiorem, ad quem preces et supplicationes dirigit, a quo missus fuit, abs quo omnia ac-

cepit. Ita ap. Joann. 20, 17: Ascendo, inquit, ad patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum; eundemque Patrem Deum suppliciter exorat toto fere capite 17. S. Joann. et Matth. 26, 39. 42. 44. Luc. 22, 41. 44. aliisque locis permultis.

Sufficit ad refellendam hanc objectionem illud ex Epistola ad Hebr. 5, 7 afferre testimonium: Ὅς ἐν ταῖς ἡμέραις τῆς σαρκὸς αὑτοῦ δεήσεις τε καὶ ἱκετηρίας πρὸς τὸν δυνάμενον σώζειν αὐτὸν ἐκ θανάτου μετὰ κραυγῆς ἰσχυρᾶς καὶ δακρύων προςενέγκας, καὶ εἰςακουσθεὶς ἀπὸ τῆς εὐλαβείας καίπερ ὢν υἱὸς, ἔμαθεν, ἀφ᾽ ὧν ἔπαθε, τὴν ὑπακοήν. Illa vero adversariorum objectio, accepisse Christum omnia a Patre, recte se habet: accepit vero non dono gratiae sed proprietate naturae per aeternam generationem. Unde Joannes 5, 26 ait: „Sicut Pater habet vitam in semetipso, ita et Filio dedit vitam habere in semetipso“. Et recte quidem inde intelligitur, ordinem esse originis inter Patrem et Filium, at nullam plane dependentiam.

3) „At sunt aliqui sacrae Scripturae loci unde Christus non genitus a Patre sed factus esse videtur. Cfr. Act. 2, 36

Joann. 1, 30 Hebr. 1, 4. Qui vero factus est non est aeternus, ergo etc.“.

Sed jam videamus! Act. 2, 36 Deus dicitur fecisse Christum Dominum, ratione scilicet humanitatis. Ad divinam vero Jesu Christi naturam id minime pertinet, neque de ea Apostolus iis verbis locutus est. Quod vero Joann. 1, 30. Christus ante Joannem factus sive γενόμενος dicitur, hoc ita intelligendum est, ut Christus Joanne tanquam Deus infinite sit superior, cujus dignitatis causa et ratio ibidem redditur: „quia prior me erat“ i. e. quia aeternitate prior, idcirco et dignitate infinite me praestantior; „cujus non sum dignus ut solvam corrigiam calceamenti“, ut ait ibid. v. 27. S. Joannes.

In Epist. denique ad Hebr. 1, 4 Christus tanto melior Angelis effectus est (τοσούτῳ κρείττων γενόμενος τῶν ἀγγέλων) i. e. evectus et declaratus supra omnes Angelos. Hunc esse germanum illius loci sensum, demonstrat ipsa orationis ratio, quae supremam Christi dignitatem ex aeterna ipsius ac coelesti generatione evincit. „Cui enim, inquit illius epistolae Scriptor, aliquando Deus dixit: „Filius meus es tu, ego hodie genui te?“

4) Inter ea vero argumenta, quae ab heterodoxis ad impugnandam Jesu Christi divinitatem adhibita sunt, illud commemoratione maxime dignum est, quod S. Paulus 1. Cor. 15, 25. 26. 28. affirmat, Jesu Christi dominationem sive βασιλείαν tamdiu tantum esse mansuram, quoadusque omnes ipsius inimicos posuisset scabellum pedum suorum. Quum vero omnia ei subjecta forent et mors, ultimus inimicus, esset deleta, tunc et ipsum Filium subjectum fore ei, qui subjecisset ei omnia, ut sit Deus omnia in omnibus. Quae S. Pauli verba qui ita interpretari vellet, ut de deponenda aliquando Jesu Christi humanitate aut de minuenda sive detrectanda Jesu Christi gloria divina intelligeret, procul dubio aperte adversaretur doctrinae christianae Apostolicae. Est haec βασιλεία Messiana Christi tanquam mediatoris dominatio, quam jam in terris habuit et exercuit (cfr. Matth. 11, 27. 28, 18 Joann. 17, 2 Ephes. 4, 11) et id coelum reversus retinuit (Act. 2, 33. Ephes. 1, 21 Phil. 2, 9 Hebr. 1, 13. Joan. 12, 32.; est enim βασιλεία illa potestas condendi, conservandi, regendi ac perficiendi regni coelestis Christo pro-

pria, qua omnes illius regni inimici et adversarii superabuntur. Ubi vero regnum illud divinum, quod est Ecclesia, perfectum omnibusque numeris absolutum fuerit, tum illa dominatio, qua efficienda est illa perfectio, amplius non erit necessaria. Incipiet devictis omnibus regni coelestis adversariis potestatibus nova dominatio ab ipso Patre exsequenda, quae fit non jubendo sive imperando, sed libera civium coelestium subjectione ac caritate, quae manet sempiterna. Est vero ea Patris dominatio divina simul Jesu Christi quoque dominatio, siquidem per naturam suam divinam Patri Filius est consubstantialis.

Quod autem de Filio v. 28 dicitur „ὑποταγήσεται“ nonnulli interpretes antiqui de corpore Christi mystico, quod est Ecclesia, secus intellexerunt. Etenim non solum verba *τὰ πάντα*, quae in versu antecedenti leguntur, et ipsos homines Christi fideles jam continent, sed etiam vox *ὁ υἱὸς* eo sensu nusquam alias reperitur. Tum vero illud quoque monendum est, verba *αὐτὸς ὁ υἱὸς*, sensum personalem et individualem involvere. Nec majore jure alii ea verba de sola humana Jesu Christi natura perceperunt, siquidem *ὁ υἱός,* ut ex

v. 24. apparet, totam Jesu Christi personam significat. Alii denique plenissimae harmoniae Christi cum Patre manifestationem iis verbis indicari putarunt. At vero cum Christi dominatio nullo tempore cum Patris voluntate non consenserit, verbum illud ὑποταγήσεται καὶ αὐτός ὁ υἱός nihil aliud videtur significare, quam reddere Christum dominationem Messianam suam sive mediantem, quam in Ecclesiam habuerit Patri et gerere sese quasi confratrem civium in regno coelesti beatorum. Quum vero in Christo natura divina et cum Patre unitas consubstantialis in aeternum maneat, ejusdem dominationis Patri traditae semper est particeps et ea ratione ipsius quoque dominatio erit sempiterna.*)

Quae adversus Spiritum Sanctum ex sacra scriptura disputata sunt, ea partim eum esse personam negant, partim ejus divinitatem oppugnant: ita qui Mace-

*) Conf. quae de hoc loco Adalb. Maierus in Comm. suo in I. S. Pauli ad Corinth. Epistol. egregie disputavit.

donianam haeresim sequebantur, Spiritum Sanctum creaturam dixerunt, alii, velut Sociniani et ceteri Antitrinitarii, Spiritum Sanctum esse putant virtutem sive ἐνεργείαν quandam, qua Deus Fideles suos sanctificat eosque divina gratia ac sapientia exornat, sed nequaquam esse ipsum summum Deum, cujus divinitatem soli Patri censent esse tribuendam. Itaque quibus in utramque partem πνευματομάχοι illi abusi sint sacrae scripturae locis, debemus discutere.

Primarium argumentum, quo demonstrarent, Spiritum Sanctum non esse personam, ex verbis illis Joanneis petierunt, quae apud Matth. c. 3. leguntur: Ego quidem baptizo vos aqua, ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto et igne. At persona, inquiunt, non potest esse id, quo aliquis baptizatur: quod ni ita esset, esset etiam persona aqua, esset persona ignis. Neque obstat, quod Matth. 28 ponitur Spiritus Sanctus cum Patre et Filio, qui sunt personae, quum saepe cum personis res non subsistentes jungantur, velut ad Eph. 6, 10. „Confortamini in Domino et in potentia virtutis ejus", legitur.

Adversus hanc objectionem illud mo-

nendum est, quod baptizari Spiritu sancto significat quidem interius animae lavacrum, id est sanctificationem ac gratiam, a Spiritu Sancto effectam, per quam Christi baptisimus longe praestantior est baptismate Joannis, quod per aquam tantum fiebat neque remissionem peccatorum conficiebat, sed solummodo signum erat sive ceremonia lustrationem interiorem significans, quae necessaria esset ad excipiendum regnum coeleste. Quod vero ad Matth. 28 spectat, de ea re jam supra diximus.

Negabant porro S. Spiritus existentiam personalem ejus adversarii ita, ut ea attributa, quae Spiritui Sancto tanquam personae conveniunt, nihil aliud quam meram personificationem esse dicerent. Sicut tribuitur Spiritui Sancto loqui, inquiunt, ita loqui dicitur lex quoque Rom. 3, 19 et sanguis Hebr. c. 12. Sed lex et sanguis quum ideo personae non sint, Spiritus Sanctus quoque inde persona non est habendus." Luc. 12, 12 dicitur de Spiritu Sancto: „Docebit vos . . ." at in I. ad Cor. 11, 14 habetur „ipsa natura docebit vos." Et 1. Joann. 2, 27 „unctio ejus docet vos de omnibus". Quomodo ergo neque natura neque Dei unctio per-

sonae sunt, ita neque Dei Spiritus. Neque id evincitur, quod Spiritus Sanctus dicatur venire, mitti, procedere, testimonium perhibere, mundum arguere, aliaque, quae munera videntur personae. Etenim venire dicitur Dei quoque regnum, mandatum, fides, ira etc. Luc. 17, 20 Rom. 7, 9 Gal. 3, 20. procedere etiam Marc. 7, 15 de rebus dicitur, quae existentiam personalem non habent. Testimonium perhibent etiam opera, Joann. 10, 25 et aqua et sanguis 1 Joan. 5, 8. Rursus arguere aliquem dicitur malitia apud Jeremiam 2, 19 conscientia Joan. 8, 9 ad Rom. 2, 15 et lex Jac. 2, 19. Neque id probatur, ex quo Spiritus Sanctus dicatur Paracletus et Consolator, quandoquidem ps. 22, 4 habetur: Virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt. Neque demonstrari potest, Spiritum Sanctum esse personam non Dei virtutem, ex quo nonnunquam jungantur simul virtus et Spiritus Sanctus. Nam ad Rom. 15, 19 scriptum est: In virtute signorum et prodigiorum, in virtute Spiritus Sancti. Si ergo personae non sunt signa et prodigia, quare persona creditur esse Spiritus Sanctus? —

Haec omnia adversariorum argumenta

diligentius quam verius conquisita sunt. Illud quidem negandum non est, aliquando Spiritus nomine in Scripturis dona et charismata designari, quod saepe effectus ac munera demonstrentur nomine personarum. Quis enim negat piam (exempl. gr.) cordis affectionem significari psalm. 50, 12 his verbis: „Spiritum rectum innova in visceribus meis“? aut doctrinam, ubi Joann. I epist. 4, 1. monet, ne credamus cuivis spiritui? aut virtutem in verbis Luc. 1, 17. „Praecedet ante illum in Spiritu et virtute Eliae“? aut exstasim, quando ait Joannes Apocal. 1, 10 „Fui in spiritu in dominica die“? His aliisque pluribus divini Spiritus munera designari nemo negat; neque tamen inde sequitur Spiritum Sanctum nihil esse praeter virtutem Dei aut participationem munerum divinorum. Nemo sanae mentis praeterea negat, nonnunquam in sacris litteris res inanimatas cum verbis necti, quae personarum significant operationes: sed certa sunt signa et indicia, quibus personae a rebus secernuntur. Ac primum quidem signum est dignoscendi enallage pronominis, qua plerumque fere vera persona aut res demonstratur. Ita Matth. 28, 19 legitur: „Docete omnes gentes, πάντα

τὰ ἔθνη, baptizantes eos, αὐτοὺς, quia sermo est de hominibus. Ita ad Rom. 9, 23 post σκεύη ἐλέους sequitur οὕς quos, quia de personis praedestinatis sermo fit. Item ad Coloss. 2, 19, ubi agitur de Christi persona ad femininum τὴν κεφαλὴν annectitur masculinum ἐξ οὗ.

Praeterea observanda sunt verba antecedentia et subsequentia, unde facile prosopopoea dignoscitur. Quippe nusquam legimus (exemp. grat.) coelum enarrare, quod audit, terram audire, quod intelligit, jumenta cognoscere, quae meditantur, quemadmodum haec legimus de personis, tametsi per prosopopoeam dicantur coeli, terra, jumenta loqui, audire, cognoscere. Jam vero apparet vanitas argumentorum ab adversariis adhibitorum, quandoquidem de lege et de sanguine dicitur quod loquantur per figuram prosopopoeae; at non dicuntur loqui, quae audiunt, quomodo dicitur Spiritus Sanctus Joan. 16, 13, qui proinde loqui dicitur proprie, non tropo. Eodem cap. 16 Joann. in quo Spiritus Sanctus dicitur venire, mitti, docere, arguere, per enallagen pronominis demonstratur esse personam, quemadmodum et c. 15, 26 ad τὸ πνεῦμα neutrius generis additur masculinum pronomen ἐκεῖνος.

„At, inquit Socinus, acerrimus ss. Trinitatis oppugnator, in epist. 1 ad. Cor. 2, 11 exstat: „Nemo scit, quae sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est; ita et quae Dei sunt, nemo cognoscit nisi Spiritus Dei". Comparat igitur D. Paulus Spiritum Dei cum Spiritu hominis. Ergo quomodo Spiritus, qui est in homine, non est persona ab homine distincta, sic Spiritus Dei non est persona distincta a Deo".

Ad hanc objectionem callidam respondendum est: Spiritum hominis pertinere ad substantiam hominis: ergo Spiritus Dei attinet ad essentiam Dei. Quum vero in Deo substantia sit impartibilis, Spiritus Dei totam habet plenitudinem divinitatis. Sed Apostolus statim illud quoque addit, Spiritum esse ex Deo: „qui ex Deo est" inquit. Qui autem est ex Deo, scilicet a Patre, non est Pater. Est ergo Spiritus, qui non est Pater et tamen plenitudinem habet divinitatis, persona divina.

At Spiritus Sanctus, instant adversarii, appellatur bonus ps. 14. 2 et per antithesin aliquando etiam spiritus Dei malus, velut 1. Sam. 18, 10 et 19, 9. Jam vero spiritus Dei malus est vis et

efficacia divina (!), qua homines in reprobum sensum dantur aut alia ratione affliguntur. Ergo bonus quoque Dei Spiritus est vis et efficacia, per quam sanctificantur homines et gaudio bonisque replentur.

Sed spiritum malum, respondeo, quo Saul abreptus fuit, ut absurda loqueretur, non spiritum fuisse a Deo procedentem, in eo omnes interpretes consentiunt. Quod et ratione constat, siquidem malum est a Deo nonnisi permittente neque sua ipsius efficientia tradit Deus quemquam in improbum sensum, sed permittit tantum, ut qui sua sponte recesserint a Spiritu bono incidant in spiritum malum ac perversum. Quapropter neminem movere debet, si iste spiritus ex linguae hebraicae proprietate vocatur spiritus Dei malus, quandoquidem permittente Deo ille spiritus Saulum invasit tanquam justitiae divinae minister et vindex. At vero cum Spiritu Sancto hoc nihil habet commune.

Non minus facile est explicatu, si Apostoli Spiritum sanctum cum aliis spiritibus comparant, velut quum Apostolus dicit: „Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus, quae a Deo donata sunt nobis“.

Vel I Ep. S. Joann. 4, 1: Carissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint, quoniam multi pseudoprophetae exierunt in mundum", quos S. Paulus Apostolus 1. Tim. 4, 11 appellat „spiritus erroris". Sunt enim triplicis potissimum generis, qui in sacris litteris nominantur, spiritus. Est inprimis humanus, quem nominatim commemmorat Apostolus in illo, de quo supra egimus, loco eumque dicit ea scire, quae sunt in homine. Est angelicus isque duplex, bonus et malus, qui et in hominibus loquitur. Est postremo divinus, sive Sanctus Spiritus. Quum igitur illi omnes generali ambitu ac vocabulo spiritus comprehendantur, merito cum reliquis divinum Spiritum componunt Apostoli et ab illo solo divinas res percipi planissimeque comprehendi docent, non item ab aliis. Quapropter quum in ecclesia Corinthia et alibi primis temporibus versarentur improbi spiritus, qui etiam prudentes homines in errorem abducerent, et pro veris interdum solerent obrepere, peculiari quodam ad secernendos illos dono Dei opus fuit, quam *διάκρισιν πνευμάτων* sive discretionem spirituum 1 Cor. 12, 10 Apostolus nuncupat. Ac subinde certam notam

et κριτήριον subjicit, quo bonus a malis discernatur spiritus 1 Cor. 12, 3 1 Joann. 4, 2. 3. Ex quo jam illud perspicue constat, Spiritum sanctum cum falsis spiritibus ita tantum comparari, ut, exclusis his, solus ille, quae sunt Dei, dicatur intelligere.

Atque haec quidem de personali S. Spiritus existentia. Jam vero illud restat, ut quae ab Antitrinitariis in ejusdem Spiritus divini divinitatem excogitata sunt argumenta ex sacra Scriptura petita, paucis perstringamus.

Ad Rom. 8, 26 scriptum est: Spiritus postulat pro nobis“. At postulare signum est indigentiae, quae nequit Deo convenire. Iterum Joann. 6, 13 habetur: „Non enim loquetur a semetipso“: impotens est ergo ac dependens. Rursus contristari dicitur ad Ephes. 4, 30 et 1 Cor. 2, 10 scrutari profunda Dei: quae duo sunt passionis et ignorantiae argumenta.

Recenseamus singula haec adversariorum argumenta. Quod ad Rom. 8, 26 attinet, ὑπερεντυγχάνει quod est ἅπαξ λεγ. (Vulg. postulare) proprie significat: vices alicujus suscipere sive causam dicere. Itaque quoniam quomodo aut quid nobis a Deo petendum sit nescimus, Spiritus Sanc-

tus quasi advocatus infirmitatibus nostris subvenit precesque nostras Deo offert — non quasi extra nos et sine nobis postulet, sed ita, ut nos divina sua potentia adjuvet et orationes nostras efficaces reddat.*)

Quod Spiritus non a semetipso dicitur loqui, nihil est, cur inde negetur ejus divinitas; sed illud tantum significat, eum non agere seclusis aliis divinis personis neque novum quid eum esse locuturum, sed continuare opus redemtionis a Christo peractae.

---

*) Suavissime, ut solet, Origenes ad hunc locum S. Spiritus operationem describit: „Ubi viderit, inquit, Spiritus Dei laborare spiritum nostrum in adversando carni et adhaerendo sibi, porrigit manum et adjuvat infirmitatem ejus; et velut si magister suscipiens rudem discipulum et ignorantem penitus litteras, ut eum docere possit et instituere, necesse habet inclinare se ad discipuli rudimenta, et ipse quidem prius dicere nomen litterae, ut respondendo discipulus discat, et fit quodammodo magister ipse incipienti discipulo similis, ea loquens et ea meditans, quae incipiens loqui debeat et meditari: ita et Spiritus Sanctus ubi oppugnationibus carnis perturbari nostrum spiritum viderit, et nescientem, quid orare debeat, secundum quod oportet, ipse velut magister orationem praemittit, quam noster spiritus, si tamen discipulus Sanctus Spiritus esse desiderat, prosequatur. Ipse offert gemitus, quibus noster Spiritus doceatur ingemiscere, ut repropitiet sibi Deum.

Spiritui Sancto tribuitur tristitia metaphorice, propter hominum animos ingratos, qui ejus dona divina contemnunt, veluti Genes. 6, 6 dicitur Deus ipse „tactus dolore cordis intrinsecus“ et ps. 77, 40. aliisque multis in locis exacerbatus vel concitatus in iram aut laetitia affectus.

Vocabulum denique scrutari sive graece ἐρευνᾶν quotiescunque de Spiritu Sancto vel de Deo usurpatur non ignorantiam significat, sed certam intimamque notitiam ut ps. 7, 10 Jerem. 11, 20 Apocal. 2, 23 dicitur Deus scrutari renes et corda: quo sensu hoc nostro quoque loco accipiendum est, quod τὸ πνεῦμα scrutari dicitur etiam τὰ βάθη τοῦ θεοῦ i. e. mysteria sive consilia Dei occulta et altitudinem sapientiae divinae, cujus viae et recessus sunt creatis mentibus investigabiles. —

Quidquid ergo ab Antitrinitariis adversus Sanctum Spiritum conflatum est impie, tantum abest, ut ejus divinitatem cum Patre et Filio consubstantialem refutare possit, ut eandem probet ac confirmet.

Conclusio.

Expositis et refutatis adversariorum interpretationibus de ss. Trinitate falsis ac perversis, nihil jam esse censeo, cur dissertationis nostrae finem moremur. Etenim non unum vel duo exstant in sacris Christianorum libris hujus augustissimi Mysterii testimonia apertissima, sed tota fere sacra scriptura, novi potissimum Testamenti nihil aliud videtur esse, nisi unius in tribus personis divinitatis manifestatio atque confessio. Fuit autem hujus dogmatis fundamentum, ut vidimus, jam in priori Testamento ita actum, ut ibidem ss. Trinitatis doctrina lineata et inchoata quasi latuerit. Neque ipsius Jesu Christi, Domini ac Salvatoris Nostri de sublimi illo mysterio effata et Apostolorum doctrinae differunt, sed tam mirum in modum consentiunt, ut nemo sanae mentis

dubitare possit, fuisse omnibus sacris scriptoribus eandem hac de re sententiam ac doctrinam.

Illud quidem certum est, non inesse in sacris utriusque Testamenti libris terminos illos, quibus Patres ac Doctores ecclesiastici ss. Trinitatis dogma adversus impios haereticorum impetus exponerent ac definirent, velut ὁμοούσιον, ὑπόστασιν, οὐσίαν τρίαδα, περιχώρησιν sive personam, substantiam trinitatem, circuminsessionem, et qui ceteri sunt termini huc pertinentes: at quis inde dixerit, ex accurata doctrinae biblicae definitione dogma novum esse subintroductum vel ipsam veritatem esse variatam? Nusquam in Scriptura reperitur significatio „Ecclesia catholica“; at quis unquam inde dubitet, sacros illos scriptores non credidisse Ecclesiam esse catholicam? Non exstant in literis sacris appellationes illae „peccatum originale“, „communicatio idiomatum“ aliique ejusmodi termini theologici: at quis inde concludere ausit, deesse rem ipsam, quae illis terminis significatur? — Concedimus etiam, quod ad Spiritum Sanctum attinet, uberius expositam esse ejus divinitatem ex parte oeconomica, ut dicere solent theologi, quam ex parte ontologica sive metaphysica; at si unum sine altero esse nequeat, ubi unum est, alterum quoque sit necesse est, praeterquam quod Sancti Spiritus ὀντολογία quoque, ut demonstrasse nobis videmur ex sacris utriusque Testa-

menti testimoniis satis superque affirmatur et comprobatur.

Ita quum fundata sit christiana de SS. Trinitate doctrina in ipsa Jesu Christi Apostolorumque ejus doctrina certissima, haud facile, ut cum poëta loquar, risum tenemus, si hominibus quibusdam, qui docti sibi videbantur, placuit, hoc fidei nostrae dogma vel ex graeca philosophia Platonica vel ex Indorum theosophia*) explicare. Quam opinionem qui habeat, is etiam Summum Pontificem Romanum originem ducere a Dalai-Lama illo Tibetano eodem jure defendat. Nos vero cum St. Augustino consentimus, qui libr. de Trinit. I. cap. 4. „Omnes, inquit, quos legere potui, qui ante me scripserunt de Trinitate, quae Deus est, divinorum veterum et novorum traductores hoc intenderunt secundum Scripturas docere quod Pater et Filius et Spiritus Sanctus uniuscujusque substantiae inseparabili aequalitate divinam insinuent unitatem, ideoque non sint tres Dii, sed unus Deus, quamvis Pater Filium genuerit, et ideo Filius non sit, qui Pater est, Filiusque a Patre sit genitus, et ideo Pater non sit, qui Filius est, Spiritusque Sanctus neque Pater sit neque Filius, sed tantum Patris et Filii Spiritus,

*) Ritter, Abhandlung über den Uebergang der Emanationstheorie in die christl. Schöpfungslehre.

Patri et Filio etiam ipse coaequalis et ad Trinitatis pertinens unitatem.“ — Quapropter quicunque auctor est symboli illius, quod vocatur Athanasii, verissime christianam de Sanctissima Trinitate doctrinam sic explanat: „Fides, inquit, catholica haec est, ut unum Deum in Trinitate et Trinitatem in unitate veneremur, neque confundentes personas neque substantiam separantes. Alia est enim persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti. Sed Patris et Filii et Spiritus Sancti una est divinitas, aequalis gloria, coaeterna majestas.“

